


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
24 0
6

ORDO IVDICIARIVS CLARIS. IV. DOC. D. Ioannis Andreæ.

IN QVO SINGVLORVM Iudicialium Actuum Formulæ plenissimè continentur.

In omnium in Foro versantium vtilitatem, nunc denuo summa cura, ac diligentia impressus.



Venetijs, Sub signo Pauonis.

M. D. LXXIII.

INDEX RVBRICARUM huius operis.



Positio-

Exceptio-

Responsio-

FINIS.

ORDO IVDICIARIVS CLARISS. IVRIS DOCT. D. IOAN. AND. CVM SINGVLORVM IVDICIALIVM actuum formulis, per Gregorium Samutholanum Doct. in lucem æditus.

¶ *Prolocutio tangit causam impulsiuam Autoris, ac operis diuisionem.*



VIA Futuris diebus instat pro lectione publica, & ordinaria per me legendum. c. quoniam contra, de proba. famosum, vtile, & practicum, exprimens formam seruandam circa iudiciarium ordinem, melius, quàm quodcunq; aliud ius ciuile, vel canonicum, ideo pro iuniorũ habilitatione aliquali, quorundam votis deuictus, Deo adiutore, & Sancto Iuone cooperatore, duxi tria quædam animos nouiter iuri dedicatorum manuducentia per ordinem prosequenda. ¶ Primò quædam præambula cum cautelis præmittam ¶ Secundò iudiciarium ordinem quanto breuius fieri poterit pro incipientibus enucleabo. ¶ Tertiò practicam exemplarem in causa beneficiali, vel decimarum, cũ singulorum terminorũ iudicialium obseruatione, tam coram delegato, quàm coram iudice ordinario ventilandam, subijciam.

¶ Primum principale ex tribus promissis.

¶ *Primum præambulum tangit finem, & officium Legum.*

TAMETSI Deus gloriosus, Rex pacificus, pia miseratione disposuit sibi subditos fore pudicos, pacificos, & modestos, tamen effrenata cupiditas, sui prodiga, pacis æmula, mater litium, materia iurgiorum, tot quotidie noua litigia generat, vt nisi iustitia conatus eius reprimeret, & quæstiones ipsius implicitas explicaret, ius humani fœderis, litigatorum abusus extingueret,

 tinguerct,

tingueret, & dato libello repudii concordia extra mundi termi-nos exularet. Ideoque lex proditur, vt appetitus noxius sub regula iuris limitetur, per quam genus humanum vt honestè viuat alterum non lædat, ius suum vnicuiq; tribuat, informatur, vt inquit Grego ix. in proœmio decret. Factæ enim sunt leges, vt earum metu humana cohërceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio, refrenetur audacia, & nocendi facultas c. factæ iiii. dist. Officiũ autem tã secularium, quàm ecclesiasticarũ legum est quadruplex, vt declaratur in §. officiũ & c. seq iii. dist. s. præcipere honestum, prohibere malum, permittere licitum, & quandoq; illicitum ne deterius contingat, & punire excessum. Versus.

Quattuor ex verbis virtutes collige legis;
Permittit, punit, imperat, atque vetat.

ff. de iusti. & iu. l. iustitia, iuncta gl. Ex quibus omnibus concluditur causa finalis principalis, & primaria studii iuris, tam canonici, quàm ciuilis, & intentio cuiuslibet in iure studere volentes, licet pleriq; prætendant alias causas finales suorũ studiorũ, videlicet, honores, diuitias & c. huiusmodi. Quæ secundario, & per accidens potius etiam inuitos solent comitari. Versus.

Esurit ars, decreta tument, lex lucra ministrat.
Pontificat Moises, thalamos medicina subintrat.
Dat Gallenus opes, & sanctio Iustiniana.
Ex alijs paleas, ex istis collige grana.

¶ Secundum præambulum est Guil. Spec. in ii. parte post prin. in tit. de præparatoriis iudiciorum.

¶ *Agere volenti consideranda.*

PRæparatoria iudiciorum considerãtur, tam circa partes litigare volentes, quàm circa iudicem. Circa partes, vt, videlicet, is qui agere, vel accusare intendit, consulat amicos, & in iure peritos C. de inge. ma. l. si auiam tuam. Deliberet, & tractet, an expediat agere, vel accusare, vel litem mouere iij. quæst. iii. de indu. l. dist. ponderet, respon. i. & videat suas probationes, an scilicet possit probare quod intendit ii. quæst. viii. sciant cuncti. ff. de proba. l. ei qui dicit. Præparet etiam testes, & aduocatos, vt in præal. cap. de indu. Et caueat ne decipiatur testiũ vel aduo-

catorum promissione.ii.q.iii.paulum c statuimus,in fi.de elec lib vi Ideoque cum peritioribus debet suum tractatum habere, vt in præal. fi. auiam. Alioquin si cum minus peritis, peribit vt Iudas qui pœnitens iuit ad pharisæos relinquens apostolos nihil inuenit auxilii, nisi augmentum desperationis. Dixerunt n. Quid ad nos,tu videris Matth. xvii & transumptiue de pœni. dist.vi c i ver.Iudas.n.& ver.isset. Et hæc est causa quare actori non dantur induciæ preparatoriæ. Nam ad hoc se debuit prius preparare iii q.iii § spatium versi ei autem.

¶ Diligenter itaque quis præuideat, an agere, vel accusare sibi expediat, & ad præmissa se præparet, quia litis euentus dubius est l quod debetur ff de pecu Velox n. iniquitas ad nocendum occasionem suggerit,omniaque præcipitat, lenta autem virtus & cunctatrix, ante iudicat,quàm incipiat, quid decorum, quid honestum sit,de poe.dist.iii.inter hęc hii cum. c. magne. de vo. Et melius est ante tempus occurrere,quā post causam vulneratam remedium quærere.C.In quib.cau. restit in integ non est nece,l. fi Nam ex quo aduersarium conuenerit, oportet eum litem prosequi auc qui semel. C. quomodo & quādo iudex sen. prose de ¶ Porrò si aliquis vult aliquem denunciare vt fratrē suum corrigat a peccato. tunc præcedere debet caritatiua admonitio,vt in c super his,& c qualiter ii de accu. & c. licet heli. de fi ii q i si peccauerit & xi.q.iii præcipue in fi. ¶ Si autem velit agere ciuiliter, vtpote pro fundo, vel pecunia, vel seruitute, tunc priusquàm in causam illum vocet,ab eo id ter exigat, scilicet, de vrbanitate Quod si non satisfaciet, tunc per iudicem compellatur ii q vii siquis erga C de pigno l.debitores. ¶ Si verò vult de aliquo crimine accusare,tunc necesse est ꝙ se ad pœnam talionis ante omnia inscribat vt in d.c super his & c.quāliter & quando ii de accu Nam crimen potest deduci in iudicium quatuor viis,scilicet, per denunciationem,accusationem, inquisitionem, & exceptionem. Versus.

Quattuor ecce modis agitur de crimine,Cum quis
Nunciat,accusat,inquirit, & excipit,Ante
Admonet,inscribit, infamat, & obligat extra
Sic cauet,& deponit,& amouet, atque repellit.

De quibus vide glo i & pe.in al.c.qualiter.ii.de accusa. quæ ista latè declarat,& glo.ii. q vii in sum.

actori non dant induciæ preparatoriæ

velox iniquitas lenta virtus

Crimen quatuor modis deducitur in iudicium

¶ *Iudicis documenta.*

CIRCA iudicem etiam distinguit Spec. vbi supra Nam si agitur criminaliter tunc iudex debet examinare personam accusatoris, s. cuius æstimationis, vel opinionis sit, qua intentione, qua fide, qua temeritate, qua vita, qua conscientia, quove merito, si pro Deo, an pro vanagloria, aut pro inimicitia, vel odio, aut pro cupiditate accusat. ii. q vii siqui sunt Debet etiam examinare cuius conuersationis, & fidei sit. Quia hi q non rectè fidei, ac conuersationis sunt, & quorum vita accusabilis est, quorum fides, vita & libertas nescitur, & viles personę non admittuntur accusantes. ea. q c quęrendum Et sic de his, & similibus debet examinare. Nam accusatio pręsumitur fieri malo zelo, quia est genus illaudabilis intentionis ii q vii. siquis episcopus. Quod si agatur actione iniuriarũ semper dẽt iudex laborare, vt partes cõponat si põt, etiam si agatur criminaliter. v q. ii si primates, vbi de hoc, & xc dist c. i Veruntamen si talis laborat infamia, iudex ex officio suo procedat. c. i. & ii. de col. dete & ii q. iii siquem. Si autẽ agatur ciuiliter iudex eodem modo studeat componere c. si de transac cum suis concor. xi q iii iniustum. ff. de offi pręsi cog uit. Et hoc maximè facit cũ sint ignota iura partiũ, alias cum sibi cõstat de crimine, etiam si partes inter se cõponant, ipsę iudex ex officio suo procedat, vt d c. i. & ii. de col. dete. Quia crimina vndecũque claruerint, puniẽda sunt xxiiii. q iii. ecce aut. ¶ Si autẽ postquã conclusum est in causa videt iudex esse ius clarum, ita ꝙ debet pronunciare pro altera parte, nunquid tunc dẽt illum inducere ad componendũ. Spec vbi supra relinquit hoc curiosis disputandũ Io. An ibi in addi Spe. & Panor. in c si. de transf. dicunt, ꝙ nisi aliquę circũstantię suadeant, abstinere debet á tali cõpositione, quia ex quo sibi liquet de causa, nõ debet reducere ad compositionem, ne videatur de iure vnius dari alteri sine causa, qđ non licet, cum iudex debeat reddere vnicuiq; quod suũ est, in procemio decreta xii q ii cũ deuotissimã Sed ex circũstantiis posset hoc facere Cęteris paribus magis dẽt suadere actori vincẽti, quã reo absoluẽdo. Ratio q̃a sentẽtia ferẽda pro actore, est mãdanda executioni, & in executionis actu, posset fieri longũ litigiũ, per binas appellationes, quę ratio cessat ex parte rei. Tñ etiã in eo posset subesse causa, vtputa si actor succũbẽs est litigiosus, & pecuniosus, & paratus

per

per appellationem reum fatigare. Debet ergo iudex his, & simili bus causis consideratis, abstinere, vel reducere ad concordiam facit ad praedic capit nisi. de preben.

¶ In summa itaque nota quòd nemini expedit vt sit nimis pro-ptus ad litigandum Scriptum est enim Matth. v. c. ante fin Si quis voluerit tunicam tuam tollere & in iudicio tecum com-pendere, dimitte ei & pallium. xiiij q. i §. i & apostolus. i Chorin. vj inquit. Secularia negotia si habueritis, omnino peccatum est in vobis. & vos contemptibiles facietis, vt ibi. & xi. q. i. § ex his Maxime autem hoc non expedit clericis. xiiij q i. c. i Quia nemo militans deo implicat se negotiis secularibus, vt x q iii. §. j. ne cleri vel monac. cum haec vix sine nota peccati valeant ex-plicari. vt supra de poe dist. v qualitas. Hinc est quòd litigiosus prohibet apostolus ordinari, vt j ad Thimo iii & dist. lxvi di. & xc. per tot. Et multo minus hoc expedit religiosis. xii q j mona-chi Quia seruum Dei non oportet litigare, vt ii q vii. sicut & c. vnico di fin ¶ Cuilibet ergo consulimus bona fide (dicit Specu.) quòd pronior sit ad componendum, quàm ad contendẽdũ, vt xc di per tot. & c. fi. de transl. v q ii. si primates. Nam & litigans qui iurat ad pacem cum proximo non venire, non tenetur tali sacramento xxii. q iiii. qui sacramento.

¶ Tertium praeambulum ortum processus iudiciarii, tam a lege natu-rae, quam scripta insinuat concludens exercitationem artis esse necessariam.

QVAMVIS Summa Deus, qui opus imperfectionis non nouit. c. maiores § sed adhuc quaeritur, de bap homi-nem ad similitudinem sui formatum (xxxv q. iii. hec imago) rectum creauit, vt dicitur Ecclesiastes vii ante fi ad eius regulationem ius naturale concreando. v. dist. post prin, ita ꝙ tale ius naturale ad regimen ipsius creati hominis secundum conditionem naturae institutae, sufficiebat, tamen ipse homo à sui status rectitudine lapsus, infinitis se immiscuit quaestionibus, Ecclesiastes. vij. Vnde iure gentium orta sunt bella & distincta rerum dominia. j. dist iusgentium. & ff. de iusti & iure. l ex hoc Quo iure vnus dicit hoc esse meum, alter vero suum. viii. dist. quo iure. De quo Seneca. Homines inquit, quietissime viue-

rent, si hæc duo pronomina, meum & tuum, de medio tollerentur. Hinc est, quod post lapsum hominis, forma litigandi, & ordo iuris, ac vsus creditur in paradiso exortus. Cùm enim Deus redargueret Adam de inobedietia, Genes. iij dicens: Quis indicauit tibi, quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti. Adam relationem huius criminis conuertit in coniugem, dicens; Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi Et mulier occasionem retorsit in serpentem, dicens; Serpens decepit me, &cæ. de pœniten dist ij. c. serpens.

¶ Item ex lege veteri & Mosaica, ordo & vsus iudiciorum comprobatur. Nam Moises interrogatus à Ietro suo socero, Exod. xviij Cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de mane vsque ad vesperam Respondit; Venit ad me populus quærens sententiam Dei, Cumque accideret eis aliqua disceptatio, veniunt ad me vt iudicem inter eos.

¶ Item Deuter xviij In ore duorum vel trium testium peribit qui interficietur. Et sequitur. Nemo occidatur vno dicente contra se testimonium.

¶ In nouo etiam testamento approbatū iuris vsus. Nam Apostolus j. Corinth. vj dicit; Audet aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum iudicari apud iniquos & non apud sanctos & cæt Quare secundum statutum humanę naturæ destitutæ, non suffici bat lex naturæ, sed necessaria erat promulgatio legis positiue, tā in iure canonico, quàm ciuili traditę. Quia nisi iurgia, & lites per iustitiam exprimerentur, non esset in mūdo concordia, vt supra dixi in primo pręambulo Et quanuis super hoc emanauerit ius positiuum, tamen cum hoc exercitiū, & ars placitandi maximè sunt necessaria xlv. dist. licet plerunque 50. distinct vt constitueretur. Nam per scientiam, & experientiam, seu exercitium omnis acquiritur notitia, vt patet in procemio Metha Et omne artificium per exercitium recipit incrementum, vt dicitur in l legatis. §. ornatricibus ff. de leg. iij. Nam initia ab arte debent proficisci, cætera facilè comparabit exercitatio, inquit Cicero ij. libro Rhe ad Herennium. Idcirco pauca & breuia pro exercitatione incipientium in hac arte, subiiciam.

¶ Secun-

¶ *Secundum principale.*



ON Sum nescius quantum viri docti circa iuris processum elaborarint, vtpote Abb. Panor. in suo processu iudiciario, quem pleriq; ascribunt cuidam Ioanni Vrbach. Item N. Ferrarien. plura super hoc commentando. Item Iō. frāc. de Oria. in sua repetitione super c. quoniam contra de proba. qui omnino, & doctè & copiosè etiam subtilia profectis in iure tradiderunt. Verū cū mihi cordi sit incipientibus in iure pabula lacte à degustanda porrigere: recipiam ad præsens processum iuris breuiorem Ioannis An. ex ij li decretalium per eum excerptum, cui paucula breuiter interseram, quia gaudent breuitate moderni.

¶ Antequam tñ dicam de processu iudicii, tria premittam. Primò, quid sit iudicium. Secundò, quæ sint personæ quę debent consistere in iudicio. Tertiò, quot sunt species iudicii.

¶ *Iudicium.*

IVDICIVM Est actus legitimus trium personarum, scilicet, iudicis, actoris, & rei in iudicio consistentium, argu. c. j. iiij. q. iiij. Et debet primò intelligi, q̄ sint tres personæ substantificè vere vel ficte vel saltem repræsentatiuè. Ita q̄ de substantia & esse iudicii necessariæ sunt tres personę, s. iudex, actor, & reus. Nā de bene esse iudicii ēt quandoque alię personę sunt necessarię, videlicet: consulendo, defendēdo, vel adminiculando in causa, vt sunt testes, aduocati, assessores, tabelliones, procuratores, & auditores. Dixi aūt ficte vel repræsentatiue. Quia licet in iudicio inquisitionis generalis, quā s facit prælatus inter suos subditos, nō interueniat persona actoris vel rei de quo in c. bona. i. de electi. similiter in iudicio inquisitionis specialis, vt qñ episcopus inquirit contra aliquem presbiterum de crimine infamatum, vt in c. qualiter. ij. de accus. deficit persona actoris veri tamen infamia præcedens fingitur loco actoris vel accusatoris.

¶ Dixi etiam, quòd est actus legitimus. Nam ad explicationem iudiciarii actus, necesse est per certas partes & actus particulares, certo ordine procedere. Pro quo noto secundum Abba. in c. causam j. de testi quòd.

¶*Acta iudicij.*

ACTA Iudicij sunt triplicis qualit. Quædam sunt iudicii ordinatoria, vt citatio, libelli oblatio, satisdatio i. cautio, & similia. Quędam sunt causæ instructoria seu veritatis indagatiua, vt attestationes, instrumentorū productiones, confessiones &c Quędam sunt causę seu negocii decisoria, vt sunt sententiæ quæ fecerunt in causa, de quibus in c cum super &.c. cum inter &.c. de re iud. Et ista acta iudicii, seu ordinem, & partes eius, tractat liber secundus decretalium, & optimè ea perstringit tex. in c. quoniam contra de probatio & ibi plenius videbimus.

¶Item istarum partium iudicii, aliquę sunt de substantia processus & ordinis iudiciarii, vt sunt citatio, libelli oblatio, litiscontestatio, conclusio, & sententia Et hæc non debent ꝑtermitti, confundi, vel præposterari, ēt de cōsensu partiū, alias ex omissionē, vel confusione, aut ꝑposteratione, induceretur & surgeret nullitas iudicii, & ꝓcessus ii.q.vj § diffinitiua, & seq. & c qualiter.ij. de accu. de quo gl vult in cle sępe. de ver sig. Aliquæ verò non sūnt de substantia, sed de solennitate, vt sunt recusationes, dilationes, exceptiones iurm calumniæ &c de quibus ĩ. ꝑ ordinem videbimus in exemplari practicę. ¶Nunc redeamus ad ꝑsonas.

¶*Iudex.*

IVDEX Est qui indicat de cā. Et dr̄ iudex, quasi ius dans, vel dictans, vel dicens. Dicitur autem à iustitia, quia debet esse iustus alias non meret dici iudex vt.c. forus. § in omni, de ver. sig.

¶*Species Iudicis*

TRES Autē sunt species iudicis, scilicet ordinarius, delegatus, arbiter. ¶Ordinarii iudices sunt qui habetur potestatem iudicandi a se iure suo. i hoc ipso ꝙ sunt tales in suo territorio, vt pręses prouintiæ, episcopus, & similes, de quibus per tot. ti. de of. iudi. ordi Vnde quatuor dant iurisdictionem in dubio ordinariam. Primò lex inanimata vel canon. Nisi appareat velle dare delegatū Secūdò lex animata i Papa Imperator, vel Eps suo vicario, Princeps n. est lex aīata in terris In aut de cōsul § fi col. iiii ix.q iii. Ipsi sunt iuncta gl Tertiò cōsuetudo, vt pastori sup parochianos. de quo. iii c Cum ab ecclesiarum, de of. ordi. Quar

tò, vniuersitas approbata, vt electores in vniuersitate ipsi Recto ri sic alii artifices suo seniori, vide gl. in l. Et quia. ff de iurisd. om. iud. Et nota. iii. d. c. cum ab ecclesiarum.

¶ Delegati seu extraordinarii iudices sunt, qui vtunt iurisdictione aliena, & habent ptātem cognoscendi in cā ab aliquo sibi superiore commissam, vt sunt illi iudices qui p rescripta dantur à Papa vel eius legato, aut etiam ab ipso episcopo, qui delegat cā specialiter alicui personę cognoscendam ¶ Et scias q̄ delegatus à principe potest subdelegare, vt in c. pastoralis. & in c. super qō num de off. dele alius nō. vt in l. à iudice C. de iud ¶ Arbitri sunt iudices compromissarii. i. in quos partes litigaturæ compromittunt de cōi consensu, super re litigiosa. Et à sententia talium nō potest appellari ff de arb. l. diē proferre. § stari. & l. i C. eo. ti sed statur eorum sententię, ratione pœnæ appositæ, alias soluta pœna potest pars non parere sententię. Dixi autem super re litigiosa, quia in hoc dñr arbitri ab arbitratoribus Arbitri. n. eliguntur vt iudices à partibus super re litigiosa Arbitratores verò non super re litigiosa, sed vt componant vel diffiniant inter partes, aliquas dissidentias, vt si duo hęredes, vel socii velint diuidere hæreditatem, aut rem communem ad arbitrium Petri tanquam boni viri, tunc Petrus erit arbitrator. ar. l societatem. ff pro so.

¶ *Iudicis impedimenta.*

TRIA Sunt quæ impediunt aliquē esse iudicem, scilicet natura, lex, & sexus, vt est tex. in c. i iii q. viii. Natura prohibet surdum, mutum, perpetuo furiosum, impuberem. Lex prohibet irregularem excōicatum, hęreticum, paganum, & eum qui à senatu amotus est Sextus, & mores prohibent mulieres esse iudices, propter earum inconstantiam & mutabilitatem, de quo tractatur in c dilecti de arbi. Similiter serui prohibentur fungi ciuilibus officiis, eo q̄ seruitus fere mortis comparatur, vt in l. serui tutē ff de ver. sig. mortuus āt nō exercet operationes legitimas.

¶ *Iudicis conditiones.*

¶ Conditiones iudicis patent in his versibus.

Iustus, veridicus, discretus, eloquiosus,
Cautus, causidicus debet iudex fore talis.

Iustus, quia debet iudicare gratis. Non enim licet iudici vendere iustum

iuftum iudicium, etiam feculare xi.q iii non licet Difcretus, q a debet in decidendo fequi communem opinionem non fingularem alicuius doctoris ff de leg.ii l.qui folidum.$ etiam. Cautus quia iudicantem oportet cuncta rimari, nec à certis pro incertis recedere. c. fi xxx q v. & grauiter incedere debet ficut grauida mulier, non currere ficut nuncius, vel libardus. Caufabilis.i. quia debet caufas, & lites dirimere.

¶Actor.

ACTOR Eft qui agit caufam contra aliquem in iudicio, petens nomine fuo aliquid ab eo. ff de iud. l. in tribus Et eft regulare, ꝙ actore non probante id, ꝙ affeuerat, reus qui cõuenitur, etiam fi nihil prçftiterit, abfoluitur l qui accufare. C de eden. vj. q v. accufator c vt noftrum vt eccle. benefi. fine di. con. Fallit hoc in certis cafibus quibus actore non probante reus nõ abfoluitur, quos enumerat glo in d. c. vt noftrum. & ibi vide. ¶Item aliud regulare, ꝙ actor fequitur forum rei. xi. q. i. exp erientię. c. fi clericus. & c cum fit generale, de fo. comp ¶Excipiuntur certi cafus in quibus reus laicus cõuenitur in foro ecclefiaftico, quos enumerat gl in c licet ex fufcepto, de fo. compe. Verfus.

Hæreticus, fimon, fæuus periurus, adulter,
Pax, priuilegium, violentus, facrilegusque
Si vacat imperium, fi negligit, ambigit an fit.
Sufpectus iudex, fi fubdita terra, vel vfus,
Rufticus, & feruus, peregrinus, feuda viator,
Si quis pœniteat, mifer aut fit, caufaque mixta.
Si denunciat ecclefiæ quis, iudicat ipfa.

¶Et nota, ꝙ periuri, & infames, aut aliquis fimili morbo laborantes, non pñt accufare, nec teftificari, c. fi. de teft. nifi in crimine fimoniæ. c. tanta de fi. Item in crimine læfę maieftatis. c. fi. de confe. xv. q iii. c pe Item in crimine hærefis. ii qõ. vii facerdotes. Item cum fuam, vel fuorum iniuriam profequitur. iiii. quæftio. vlt. Omnibus.

¶Reus.

REVS Eft contra quem agitur in iudicio. Et dicitur reus nõ à reatu fed à re fuper qua agitur, & quæ ab eo petitur. c. forus, de ver. fig ad fi. ¶Et nota, ꝙ actori excõicato non tenetur reus in iudi-

iudicio respondere c cũ inter priorem de exce. c. pia eo ti lib. vj. Licet reus posset se defendere etiam excõicatus,tñ reconuenire non posset d.c.cum inter priorem:vide c. intelleximus. de iudi. ¶Item reus non tenetur actori rñdere si plures habet pronales actiones contra eũdem coram diuersis iudicibus delegatis. c. ex tenore de rescri. & c.dispendia eo.tit.lib vj. de quo dic vt ibi.

¶*Testis.*

TESTIS Est q testimonium perhibet in iudicio. Et est rei gestę probator ¶Et nõ ꝙ testes antiquitus vocabant superstites eo ꝙ super statu causæ stabant,seu proferebantur,vt in c.forus, de verb sig.ad fi.¶Item nota ꝙ septem sunt quæ prohibent aliquem esse testem iiii.q.iii.fere per totum.Versus.

Conditio,sexus,ætas,discretio,fama.
Et fortuna,fides,in testibus ista requires.

Conditio. Si enim aliquis est seruilis conditionis, talis non põt esse testis,maxime in cã criminali . vt vbi de furto , homicidio, &c.agitur.Sexus Quia mulier non põt esse testis in causa criminali. Aetas. Nam puer nõn potest esse testis. Discretio. Furiosus enim vel fatuus non põt esse testis. Fama. Infamis nãquam & vitiosus non põt esse testis.c.sup eo. & c.testimonium, de testibus. Fortuna. Quia infortunatus seu pauper non admittit in teste, qa præsumitur ob eius paupertatem facile p munera corrumpi, & hoc intelligi de vili paupere,qa pauper honestus põt esse testis c.pauper.xi.q.iii. Fides,Quia infidelis,vt hęreticus,vel paganus, non potest esse testis contra Christianum: c.iudęi de testi. ¶Item consanguinei,& domesticis,seu familiares inter se,& laici contra clericos in causa criminali non possunt esse testes.c. personas & c in literis,de testi Versus.

Et clericus laicum fugiat,& viceuersa.
Et consanguinei,pariterquè domestica turba.

¶*Testes quæ iurare debent.*

FORMA Iuranditestium ponitur in c quotiens. & c. fraternitatis,in gl de test.iurabunt enim,ꝙ dicent pro vtraq; parte totam veritatem iudici examinatori,quam de re illa super qua inducuntur,& hoc siue interrogati fuerint siue non ¶Item ꝙ nullam interserant falsitatẽ. Nam falsidicus testis tribus personis a se est obnoxius,vt dicitur infra capitu.i.de crimin. fals Primum

Deo cuius præsentiam contemnit. Deinde iudici quem mentiẽdo fallit. Postremo innocẽti quem falso testimonio lædit. Item ꝙ non pretio, odio, amore, vel timore, nec spe lucri promissi, aut remissi sed solius iustitiæ, & veritatis causa testimonium dicent. Item ꝙ secretum teneant vsque ad publicationẽ, vide glo. fi. ij q. iiij. §. vlt. Debent insuper deponere, & testificari de loco, & de tempore, id est quo tempore, & in quo loco, & quo loco loci factũ est id de quo deponunt, & debent dicere causam sui dicti, quo modo & vnde sciant id quod dicunt. c. cum causam. de testi. Versus

Et locus, & tempus annumerantur eis.

¶ *Aduocatus.*

ADVOCATVS Propriè in iure vocatur is, qui in forensibus seu extraneis negociis præeminentibus, præbet litigantibus suũ patrociniũ. Inde dicitur aduocare, id est, postulare, hoc est, pro eo quem defendit coram iudice desiderium exponere. Et aduocati præstant consilium, & auxilium in causa per iuris allegationes. Hi gloriose vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam, & posteros defendunt, & ambigua facta causarum dirimunt, vt dicitur in l. aduocati C. de aduo. diuer. iudi.

¶ *Procurator.*

PROCVRATOR Dicitur is qui in iudicio, vel mandato domini negotia administrat, agendo vel defendendo pro pretio l. j. § j. ff. de procurato. ¶ Et nota, ꝙ duplex est procurator, scilicet, ad iudicia & ad negotia, de quo vide not. in c. qui generaliter, de procur. lib vj. ¶ Item nota, ꝙ multa sunt, quæ impediunt aliquem esse procuratorem. Versus

Surdus, cæcus, mutus, vel perpetuo furiosus.
Fœmina, vel seruus, infans vel minorennis.
Publicus atque pugil, male credens vel religiosus.
Pactus, & abnegans non abneganda sacerdos.

Vide tex. iij q. vij. fere per totum. Item sacerdos non potest procurare seu postulare, nisi in causa propria, vel in causa suæ ecclesiæ vel coniunctæ personæ, id est consanguinei, aut affinis. ¶ Item in causa miserabilis personæ, vt viduæ, orphani vel cæci, & si. c. ij. & iij de postu. Item monachus non potest aduocare,

nisi

nisi mandato Abbatis Item isti procurare non possunt.

Testis, assessor, paciscens, reus & iudex:
Actor, & auditor, commendator, simul ista require.
Procuratores, doctores simul ista sociabis.
Rusticus, & miles, mulier, necnon minorennis.
Pauper, bannitus, non procurare debent.

¶ Et ratio horum est Quia non potest quis gerere simul vicem plurium personarum in iudicio.iiij.q iiij c.j.

¶ *Assessor.*

ASSESSOR Est qui assidet in iudicio & iudicem instruit, si forte iudex est imperitus.C de asses.l.j. & fere per tot. Vide not. in c.statutum.§ assessorem autem.de rescrip lib.vj.

¶ *Auditor.*

AVDITOR est cui aliquis certus articulus causę audiēdus vel examinādus à iudice committitur, vt recipere attestationes & similia. Scito ꝙ nec assessor, nec auditor pōt ferre diffinitiuā.

¶ *Tabellio.*

TABELLIO Est persona publica habens officium scribendi instrumenta super contractibus vel aliis rebus ad faciendum fidem super eisdem. Et quia hoc officium est genus negociationis, ideo prohibetur sacerdotibus, vt not in c sicut ne cleri vel mo Nisi in causa ecclesiastica vel spirituali Et idem appellatur notarius. Vide no in d c. statutum §.notarium verò de rescrip. lib vj Quomodo autem tabellio equiualeat duabus personis, videbimus in c quoniam contra. de proba. quod propediem lecturi sumus. Et hæc de personis, quę debent interuenire in iudicio, aut verè aut fictè, vel nomine suo, vel alieno, aut defendendo, aut adminiculando in causa, dicta sufficiant.

¶ *Species iudicij.*

NVNC Restat videre de speciebus iudicij. Vnde sequendo dicta do. Panor in rub. de iudi, pono quadruplicem iudicij diuisionem, & quidem breuissime

¶ Prima diuisio respicit effectum cōcludendi. Iudiciorum, aliud criminale,

criminale, aliud ciuile, aliud mixtum. ¶ Criminale est quãdo agitur de crimine, criminaliter, vt in c at si clerici. & in c. cum non ab homine, de iud Et dicitur super iudicium criminale, quando finis tendit ad commorum republicę vel fisci, siue pœna sit corporalis siue pecuniaria, gl no in l prætor in prin ff de sepul. vio. ¶ Ciuile est quando non agatur de crimine, sed ad aliquam rem temporalem, vtputa de feudo, de mutuo &c. vt in c. cæterum & c. dilecti. & c. cãm, de iud. Et semper dr̃ ciuile, dũ finis tendit ad commodum partis, vt gl no in d l. prætor ff de sepul vio. Mixtũ est. vt cum agitur de crimine ciuiliter. de procura c tuę & c sun his, de accu. Illud enim dicitur mixtũ, ꝙ participat de natura extremorum, iuxta no per doct in § j. in gl. super verbo summa in. sti de actio & ibi per do Iaso.
¶ Vnde nota pro cõi doctrina. Quando pœna pecuniaria venit applicanda fisco pro crimine, tunc iudicium dicitur mere criminale Quando verò parti tunc dicitur ciuiliter agi, & per consequens iudicium non erit mere criminale, sed mixtum l. criminale, ciuiliter intentatum, iuxta tex in al c. tuę de proc. Hanc doctrinam cõem ponit gl in l iii ff de sepul. vio & ibi Bar & sequitur eum Inn. in c. qualiter ii de accu, & Ant de But in rub. de iudi Item ponitur hęc doctrina cõis. § in summa iuncto § pœna. insti de iniu vbi clare innuit tex ꝙ tunc dr̃ agi de iniuria ciuiliter, qñ agitur ad pœnam pecuniariam parti applicandam ¶ Secũda diuisio sumitur ex parte formæ iudiciorũ Aliud ordinariũ vt c. examinata, de iud. Aliud extraordinarium, de quo in c nouit de iud. Aliud mixtum, quale est (secundum Abba in rub. de iud.) iudicium inquisitionis, ꝙ ex eo (quia inquisitionis via est iure principaliter introducta, & in eo seruat̃ ordo iuris, licet nõ vsquequaq,) pt dici iudiciũ ordinarium ad hoc d. c super his. & c. qualiter ii. de accu Sed alio respectu, quia, l. procedit non comparente actore, seu accusatore. c accedens, de accu & quod not. in l ii § si publico. ff de adul. & quia non vsquequaque seruatur in eo ordo iuris, vt in d. capitu qualiter ii. § debet & quia tanta pœna regulariter non imponitur de iure canonico, potest dici extraordinarium secundum Abbatem, licet aliqui dicant iudicium inquisitionis esse simpliciter extraordinarium, sed id non est curandum. ¶ Ex his sequitur, quòd in iudicio ordinario, requiritur persona actoris, rei, & iudicis explicitè. Item quòd
libellus

libellus offeratur, lis conteſtetur & cætera ſubſtantialia iudicii, obſeruentur. In extraordinario non requiruntur iſta, vt in iudicio quod fit per viam denunciationis, aut inquiſitionis generalis, vel ſpecialis, de quo not in al. c. nouit.

¶ Tertia diuiſio ſumitur ex parte materię Iudiciorum. Aliud ſpirituale, quod fit ſuper rebus ſpiritualibus & eccleſiaſticis, vt de ſacramẽtis, de cauſa matrimonii, decimarũ, vſurarũ, vt in cle. diſpẽdioſam de iudi. & in c exhibita eo ti in anti. Aliud tẽpale q̃d fit ſuper rebus mere tẽporalibus & prophanis. i quæ ſunt remotę à phano. i. templo & rebus ſacris, vt in c. venerabilis, de iudi. Aliud mixtũ quod fit ſuper annexis ſpiritualibus, vt dum agitur de iurepatronatus. Habet. n aliquid ſpiritualitatis & aliquid tẽporalitatis, ita ꝙ de vtroq; extremorũ participat, nec preciſè accidit ad alterũ tm̃ Nõ enim eſt mere ſpirituale, cum laico competat, & ad hæredes tranſeat. vt in c filiis. xvj q. vij. Temporale aũt non eſt, quia licet ſequatur vniuerſitatẽ rerum venditarũ. c. ex literis, de iurepa. tñ vendi non põt, ita declarat gl. in c. pię mẽtis xvj. q ij Pro tanto aũt dicitur ſpirituali annexum, quia parat viam ad obtinendam ipſam inſtitutionem, quæ eſt ius ſpirituale, ſecundum Abb. in rub. de iudic & in c quanto. eo. ti Et quia mixtum ſequitur naturam ſimplicis dignioris, (vt dicit Abb in d c. quanto) & ſpiritualitas eſt dignior temporalitate ſicut anima corpore. c ſolite. de maio. & obe ideo iuſpatronatus cenſet plus annexum ſpiritualitati, & ideo vendi per ſe non poteſt. c. ex literis, de iurepat.

¶ Quarta diuiſio ſumitur ex parte quantitatis. Iudiciorũ aliud vniuerſale, aliud generale, aliud ſingulare. De his habetur gl. in c. ij de li obl. & per Spec de iudi in fi. per to.

¶ Iudicium vniuerſale ſeu actio vniuerſalis eſt, qñ actio datur ad aliquid quod de ſua ſercatione multa in ſe vniuerſaliter cõtinet, tanquã vniuerſum ius, vt eſt petitio hæreditatis familiæ erciſcundę, id eſt hęreditatis diuidendę, actio ex teſtamẽto, quàm datur pro hæreditate ex trebelliano reſtituenda, actio ex empto quę datur quotiens tota hęreditas emitur. Item qñ petitur villa ſeu Caſtrum cum ſuis pertinentiis. Item quando petitur eccleſia cum ſuo iure & omnibus prouentibus, ſecundùm Innocen. in c. conquerente, de offi. ordi. & melius ſecundùm Abb in d. c. ij. de li obl. ¶ Generale iudicium, ſeu actio generalis dicitur quæ com-

ſtrumentis editis ab vtraque partium & allegationibus iuris factis ab aduocatis partium ab ipſimet partibus iudex debet motũ animi ſui informare ſecundum dicta teſtium, & inſtrumentorum, ſecundũ rationes, & allegationes aduocatorũ. Deinde cũ iudex diſcuſſerit merita cauſę pleniſſime, debet ipſum negotiũ terminare per ſententiã diffinitiuã. A qua ſi in qua, vel iniuſta fuerit, poterit condemnatus, aut grauatus appellare.

¶ Scias autem, ꝙ ordo iudiciarius propriè dicitur in his conſiſtere, quę aguntur inter litem con & ſententiam, cum litis cont. ſit exordium litis c ex parte. ii de verb ſig Nam ante litis conteſtationem quis propriè non dicitur agere, ſed agere velle, vnde omnia quæ litis conteſtationem præcedunt dicuntur præparatoria iudicii, vt ſ̃ dixi.

¶ *Citatio*

PRIMÒ, Videndum eſt de citatione rei ad iudicium vocatio. Et eſt principium cauſæ, ita quòd per ipſam citationem cauſa dicetur incœpta ſecundum ius canonicum, vt in c. gratũ de off delega. Iccirco omnia quæ fiunt ſine citatione, in præiudicium abſentium ſunt inualida c omnia, & c. caueãt. iij q ix. Vñ ſi iudex c tet aliquem, & citatus pendente citatione tranſfert ſe ad aliud domicilium, & ad aliam iuriſditionem, tamen nihilominus non põt declinare iuriſditionem primi iudic. quia pręuẽtus eſt citatione c. propoſuiſti. de fo compe. ¶ Pro quo aduertendũ quod in pluribus iudicibus ordinariis, qñq; eſt gradualitas, & quandoque accumulatio fori vt no in c. cum ab eccleſiarũ. de offi ord & in c cum contingat. de fo com. Vbi eſt pluralitas iudicum per modum accumulationis, locus eſt præuentioni, vt qui primo citat, ſit iudex, alias ſecus Vt ſcolaris habet iudices accumulatos tres, iuxta authen habita C. ne fil. pro pat videlicet, magiſtrum ſuum, dominũ ſuum, & epm loci. item iſta pręuẽtio habet locum in delegato & ordinario, vt in c vt debitus, de ap. Et iſta præuentio fit per citationem. Vnde.

¶ *Effectus citationis.*

TRES Sunt effectus citationis. Primus. Quia facit litem pendere, ita quòd nihil poſſit innouari in cauſa. Et hoc eſt talis citatio, per quam pars citata potuit inſtrui, ſuper quo

conueniebatur, vt in cle ij. vt lit pen. Secundus Quia facit locũ præuentioni, & iam post domicilij mutationem, vt supra dixi, Tertius. Quia post citationem executam, aduersarius coram alio iudice se conuenire non potest, not in al c. vt debitus vide glo. in al. c quoniam contra in ver citationes, de proba.

¶ Sciat iunior, quòd citatio potest fieri multipliciter, secundum Spec. in ti. de citatione. § sequitur videre, circa prin. Aut viua voce, aut per literas, aut per edictum, aut realiter.

¶ *Citatio viua voce.*

VIVA Voce fit citatio. Quandoque per ipsum iudicem, vt si dicat iudex. Compareas coram nobis tali hora, Quñque per tabellionem, & tunc pt ipse tabellio in actis scribere, se talē de mādato iudicis citasse &c. Quandoque per ipsam partem in vim tm̃ prouocationis ad cām. c. cum sit Romana. & c. bonæ memoriæ, de ap Quandoq; per nuncium, de of. dele. prudentiam & c. cũ parati de ap In quibusdam autem locis fiunt nuncii cum insulis rubeis vel baculis depictis vel alio signo deputati ad citandũ, vt fit Romę, & creditur eis propter eorum officium publicum iuratum, de quo plura Spec. in loco proxime al. Nota tamen vtile & quasi necessarium esse, ꝙ notarius in actis scribat, qualiter judex mandauit nuntio ꝙ talem citaret ad instantiam talis & nuntius reuersus retulit se eum citasse. Et cautela est, vt nuntius citet in pręsentia testium secundum Io. Andr. in d. c quoniam contra, ar. c. sacro de sen. excom.

¶ *Citatio per literas.*

SI Autem citatio fit per literas iudicis, hoc fit aut judicis ordinarii, aut delegati, aut auditoris, de quibus supra dixi.

¶ Et nota quòd omnis citatio debet fieri tribus edictis, vel vno peremptorio loco trium, & iste secundus modus est in vsu canonico apud nos. Vide not v q ij. in summa. & in c tum ex literis, de resti in integ.

¶ *Citatio ordinarij.*

IVDEX Ordinarius sic citat apud nos. Thomas R Canonicus & officialis Bonon. generalis prouidis & discretis viris executoribus, intra & extra muros ciuitatis Bononien. constitutis, salutem.

lutem. Vobis in virtute sanctæ obedientię & sub excommunica tionis pœna mandamus quatenus ad instantiā venerabilis Gręgorii de S. curati in N discretum Ioānem Marescottum ciuem Bonon personaliter accedentes, vno edicto pro tribus peremptoriè citetis, quem & nos pręsentibus citamus, vt coram nobis tali die, hora tertiarum compareat, ad quęuis obiicienda responsurus Datum Bononiæ. Die tali. Mense tali Anno tali. nostro sub sigillo.

Literas reddite debite executas.

¶ *Citatio delegati.*

IVDEX Autem delegatus vel auditor, in citatione sua inserit autenticum seu rescriptum, & commissionem (c præterea. de dila. & vij. q ij. c. j de of. dele. cum in iure) delegantis. i. domini Papæ aut eius legati, vel alterius commissarii superioris, in propria forma ipsius Hoc modo Ioannes Contarenus Archidiaconus & Canonicus ecclesię Cathedralis Rauenaten iudex vnicus à sede apostolica, vel eius legato. & c ad infrascripta partibus delegatus & deputatus, honorabilibus viris dominis executoribus in tali loco cōstitutis, salutem in domino. Noueritis nos literas sanctissimi domini nostri Pauli Papæ feliciter moderni. &c. sanas, saluas, & nullo suspitionis vitio subiectas cum ea qua decuit reuerētia recepisse, quarū tenor sequitur, & est talis. Paulus eps, seruus seruorum Dei, dilecto filio Archidiacono ecclesię Rauenaten. salutem & apostolicam benedictionem Sua nobis. H. Canonicus Rauen. querela monstrauit, ꝙ N de tali loco, & quidam alii canonici & laici talis ciuitatis, in quadā summa pecuniæ, vel possessione, & aliis rebus iniuriatur eidem, ideoq; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus conuocatis, causam huiusmodi audias ⁊ & appellatione remota fine debito diffinias, eamq; decisionem facias & decernas per censuram eccle firmiter obseruare. Testes verò si qui citati se gratia, odio vel amore vel timore subtraxerint, censura simili cogas veritati testimonium perhibere Datum Romę &c. huius ergo mandati apostolici autoritate, in hac parte nobis delegata, virtute sanctę obedientię, districtè præcipiendo mādamus quatenus dictum N & concanonicos seu consocios, ad nostrā peremptoriè citetis præsentiam, vt proxima feria tertia post fe-

stum sancti Bartholomęi, coram nobis, in tali loco legitimè cōpareant, prędicto H. iudice responsuri. Datum Bononię in loco residentiæ nostræ. Anno tali, Die tali.

¶ *Citatio per edictum.*

Dixi Tertiò fieri citationes per edictum Et hæc antiquitus sic fiebant. Quotiens coram pretore vel ordinario aliquis de aliquo conquerebatur, ꝑtor in albo (q̄ erat quidam locus in muro seu pariete pallatii dealbatus) faciebat tale edictum scribi tali in quęstione. Verum huiusmodi edicta ab vsu discesserunt. Erāt autem tria alba. Primum in quo describebantur citationes de quo hic fit mentio. Secundum in quo scribebantur generalia edicta prætorum, & de isto loquitur tex. si quis id. ff. de iuris. om. iu. Tertium in quo scribebantur nomina decurionum. ff. de albo scri l j. & ij. vide gl in ver. ad album. l. j ff. de eden. & Henricum Boiic. in c propofuisti de fo. comp. ¶ Hodie verò citationes per edictum aliter fiunt Nam si reus nō inuenitur, aut impedit citationem ad se peruenire, aut se occultat, vel eius domicilium non potest tute adiri per executorem, tunc citetur eius procurator si quem dimisit, quem tenetur dimittere. c. dilectus de procu. Alioquin ad domum citatio fiat & requirantur amici. de quo. in c. cām. quæ de do & con. & ibi glo. & in c si de eo qui mit. in pos. Tandem sufficit publicè citationem ad ecclesiā suam in valuis proponi. de quo no. in c si de do. & con & in cle. j. de iud. Potest etiam reus citari in tali causa ad totā causam, scilicet ad procedendum & ad procedi videndum in tali causa, ad omnes & singulos actus, seruatis terminis debitis & consuetis vsque ad diffinitiuam inclusiue, vt compareat cum omnibus iuribus, actis acticatis munimentis quibus in huiusmodi negotio vti intendit & se iuuare. Et hoc q̄n talis cā est in hoc priuilegiata vt electionis, ꝓuisionis, postulationis, de quo in c si de ele. li. vj. & in Spe. de citatione. § viso vide tex. & no in c. cū dilecti de do & con. & c. auditis, de proc. Nota quando quis citatur ad totam cām tunc recipiatur informatio summaria à iudice de citati absentia & & scribatur ad acta. Et nihilominus citetur ꝑ edictum publicū, vel in audientia causarū ad singulos actus, & terminos, vsq; ad diffinitiuam. ar. c. ii de do. & con. li vj. à contrario sensu. Et ibi glo pen.

¶ *Citatio*

¶*Citatio realis*

QVARTÒ Fit citatio realiter, quando persona rei realiter capitur & inuite ducitur ad iudicem De quo Io. Andr. in addi. Spec. ti de. cit §. sequitur, & in c. Romana. §. contrahentes, de fo. comp. li vj ¶ Sciendum ꝙ iudex non debet aliquem citare tempore feriato, vnde videndum est de feriis.

¶*Feriæ triplices.*

FERIAE Sunt triplices, scilicet solennes, rusticæ, & repentinæ, vt not in c fi de fer.

¶Solennes ferię sunt, quę introductæ sunt ob reuerentiam Dei & sanctorum, vt sunt dies festi quos populus solet celebrare. In his feriis non valet citatio facta à iudice, nec processus iudicii habitus, nec sententia lata etiam de consensu partium Quia his feriis partes non possunt renunciare. ¶ Rusticę feriæ sunt, q̃ introductæ sunt ob necessitatem hoīum laborãtium, & vtilitatẽ rusticum, & publicam, vt tempus messium, vel vindemiarum, & tunc etiam debet quiescere strepitus iudicii Iudex tamen potest citare & in causa procedere, si fuerit consensus vtriusque partis. Quia his feriis partes possunt renunciare, cum sunt introductæ in fauorem hominum iuri autem pro se principaliter introducto potest quis renunciare. c ad apostolicam, de regula. & l si quis in conscribendo. C de epi & cle.

¶Repentinę feriæ vocantur, quas aliquis princeps introduxit ꝓpter aliquam rem solennem feliciter & prospere se cum actam, vt ꝑꝑ natiuitatem filii vel sui, vel quia triumphauit de hostibus. &c. Et hęc cõiter non sunt apud nos in vsu. Et dicuntur repentinæ quia repente & subito inducuntur, nec sunt certè iudici, quia à nullo iudice induci possunt, nisi à principe, vt in. C eo. ti l j.

¶Sciat iunior ꝙ feria vno modo accipiť pro qualibet die in hebdomada, vt dicimus j. feria ii. feria. &c Et dicitur feria à for faris. i. à fando & loquẽdo, eo ꝙ singulis feriis deus loquẽdo, solo verbo oīa creauit, vt legiť Gen. j. c alio mõ capiť feria ꝓ die solenni festiuãda. Et dř tunc à ferendis seu feriendis victimis, q̃ offerebãtur seu feriebantur. i. mactabantur in feriis. Et sic capitur hic. Vide tex. in c. capellanus, & in capitu. fin. de feri. & xv. q. 4 placitat

¶Vnde si iudex citat aliquem vt compareat tali die dñico, vel alio festo iudicialiter responsurus, citatus non tenetur comparere, quia error est in citatione expressus Si autem citat vt compareat decimo die à die executionis, tunc dies insinuationis seu intimationis ipsi citato excluditur, & si decimus dies venerit in diē feriatum, tunc tenetur citatus prima iuridica comparere, secundum doctrinam Io. An. in c. fin dè fer. Ideo cauti iudices hodie apponunt istam clausulam, vt coram nobis decima die, si ipsa iuridica fuerit, alioquin prima iuridica, compareas &c.

¶*De contumace*

REVS Citatus, aut comparet aut non. Si non compareat & contumaciter se citatus absentat, excommunicandus est propter contumaciam, secundum ius canonicum. Et tunc iudex q eū excommunicat, taliter apud nos scribit. Tho. R Canonicus & officialis Bonō. generalis, honorabilibus viris in tali loco executoribus salutem in domino. Quoniam N. de S ciuis & parochianus vr̃, ad instantiam. C. clerici taliter, coram nobis legitimè citatus comparere minime curauit, ideo ipsius contumacia exigente, ipsum contumacē reputauimus, & eum excōicauimus & præsentibus excōicauimus, quem & vos singulis diebus dominicis & festis in ecclesia vestra publicè excōicatum denuncietis, & denunciare curetis, tandiu donec à nobis aliud habueritis in mandatis Datum &c.¶Si autem iudex contumacem non vult excōicare, aut non potest maximè in foro seculari, tunc procedit contra contumacem aliis pœnis & remediis quæ ponuntur in glo pe c tuę, vt lit. non con. & in c. j de do. & con. Versus.

Iudicis officio mulctat, pignus capietur.
Diruit ac retinet, ius denegat intereritque.
Seruat anathema, punitur sic quisque rebellis.

¶Contumax autem fit multipliciter, vt not. gloss. c. ij. de do. & con Versus.

Non veniens, non restituens, citiusque recedens,
Nil dicens, pignusque tenens, iurareve nolens.
Obscureque loquens, isti sunt iure rebelles.

Vide tex. in c. quoniam frequenter S. porro, vt lite non conte.

¶ *Citatus comparens.*

Si Verò citatus comparet, & tunc aut sibi competunt, aliquę exceptiones, aut non. Si competunt, tunc potest excipere. Vnde videndum est quid sit exceptio.

¶ *Exceptio.*

EXCEPTIO Est actoris exclusio. Et est quædam defensio per quam reus intendit se defendere. Exceptionum autem quædam est dilatoria, quædam peremptoria, & quędam anomala.

¶ *Exceptio dilatoria.*

DILATORIA Dicitur, quia per eam differtur causa & impeditur negotium principale, & hæc quandoque proponitur cōtra iudicem, quandoque contra suam iurisditionem, quandoq; contra procuratorem actoris, quandoque contra tempus quo aliquis citatus est

¶Contra iudicem sic excipit reus. Quoniam res est periculosa, & tristes solet sortiri euentus, sub iudice suspecto subire iudiciū. Ideo ego Titius, audientiam tuam domine. R. ex tali causa suspecto recuso, vel sic. Quia suspecti, & inimici esse iudices non debent. Et quodammodo naturale est suspectorum iudicum insidias declinare & inimicorum examen vel refugere, ea de re, ego iudicium vestrum ex tali causa declino & recuso super que huiusmodi suspicionis causa discutienda talem arbitriū pro parte meo nomine. iij. q. v. quia suspecti vide c suspicionis de offic. dele. & c. cum speciali de appe & c ij eo ti. lib vj & ibi Ge vel sic pueriliter. Domine, non potestis esse iudex meus, quia estis seruilis cōditionis, vel infamis, vel excommunicatus vel suspectus mihi ex certa causa, eo quòd estis inimicus meus, vel consanguineus aduersarii mei, & c de quo aliquid supra, dictum est cū diximus de impedimentis iudicum. Versus.

Subiectus dominus sic commensalis, amicus.
Incola, canonicus ac attingens, inimicus.
Consimilis causa, prius appellatio facta.
Aduocat, affinis, consanguineus sociusq́ue.
Casibus his merito, iudex suspectus habetur.

 ¶Et

¶Et nota, q exceptiones recusatoriȩ iudicis, seu declinatoriæ fa ri, sunt in inicio proponendȩ, vt sunt illæ quæ competunt contra iurisditionem iudicis Ratio est Quia si eis scienter omissis ꝓcedatur ad alia sine protestatione, citra approbationē iurisditionis, tunc comparens videretur in iudicem consentire. l vlti. C. de excep Vnde amplius eum recusare, aut eius forum declinare non posset Quod enim semel approbo, reprobare iterum non possum. iiij q iii § item si quis, vbi gl. & regula. Quod semel placuit. lib. vj. Nisi ex noua causa, vel ex antiqua occulta, nouiter mihi pandita. in c. insinuante de offi dele. de sent. & re iudic. ad probandum, & l. si C. si à non compe iudi.

¶Item nota, q contra exceptiones possunt dari replicationes, & iterū cōtra replicationes, possunt dari duplicationes, & tertio contra duplicationes, possunt dari triplicationes, & vltimo contra triplicationes possunt dari quadruplicationes, & ibi erit status. ff. de exce l ij. de quibus videbimus infra in practica exēplari.

¶Contra actorem sic reus excipiat Vos non potestis esse actor contra me, quia estis excōicatus. c exceptionem, de excep. & ibi gl ponit varias species exceptionū. c. pia eo. ti li vj. Et eodē modo pōt excipi contra procuratorem, q sit excōicatus c post cessionem, de proba. Item si sit constitutus ab excōmunicato actore. c. si de procura. ¶Item si reus fuerit ab aduersario spoliatus, non tenetur citatus respondere, nisi prius fuerit rest tutus c. super spoliatione, de ordi. cog. c j de resti spol. Item si quis mandauit me spoliare, aut spoliationem suo nomine factam, ratam habuerit, quia tunc reus non teneor ei respondere, nisi ante omnia restituat, vt in c. cum ad sedem, de resti. spol.

¶Contra iurisditionem iudicis sic reus excipiat. Nō potestis me citare, quia nō sum de foro vestro Ego enim sum diœcesis Parmen vos verò Bononien Item ego sum clericus, vos verò estis iudex laicus. Itē vestra iurisditio tanquā pedanei iudicis, nō extēdit se ad tantā summam, vel ad talem causam quā actor extimat & proponit, ergo nō potestis se de tali causa intromittere.

¶Dicitur autē iudex pedaneus ille, cuius officium est de causis minimis & infimis cognoscere Et dicitur à pede, q est extrema pars corporis. l ij & ibi. gl C de peda iudi vel sunt isti officiales foranei qui constituuntur in certa parte diœcesis, vel ad certos actus, vel ad certam summā iudicandū, vtpote ad x. marcas &

vltra.

vltra. ¶ Exceptis tamen illa qua reus dicit se non esse de dioecesi iudicis, valet & competit reo contra iudicem ordinarium, sed non contra iudicem delegatum Papæ, vel legati eius, quia ille potest citare ex aliena dioecesi, vt in c. statutum. §. cum vero. & § cum autem de rescrip lib. vj

¶ Contra tēpus sic excipitur. Quo tempore citatus sum non potui iure citari, quia feriatum fuit, vnde peto condemnetis partē aduersam in expensis, per l eum quem temere ff de iudi.

¶ *Exceptio peremptoria.*

PEREMPTORIA Exceptio est, quæ probata perimit causam & intentionem actoris. c j de litis contest lib. vj. c. veniens, de accu Verbi gratia. Vt si reus dicat contra actorem. Tu petis à me tot marcas quas tenebar, ꝙ tamen non confiteor, dato vero & non concesso tamen iniuisti mecum pactum de non petēdo, id est promisisti, quòd nō peteres à me tale debitum. Hoc enim probato, reus absoluitur ab instantia iudicij, & actori imponit perpetuum silentium in illa causa, cōdemnando eum in litis expensis. Versus.

Incidens permittit, emergens quæstio differt.

Vide glo. mag c j de or. cog ¶ Et nota, ꝙ exceptiones dilatorie sunt proponende ante litis contestationem, peremptoriè vero post, vel etiam ante, vt sunt transactiones pacta, res iudicata cō sanguinitas, & alia perpetua impedimenta in causa matrimoniali, sed non probantur nisi actor fundauerit suā intentionē, vide gl mag in c exceptionem, de excep. & in c j. & ij. de lit contest. lib. vj.

¶ *Exceptio anomala.*

ANOMALA Exceptio est illa, quæ non sequitur normā & regulam aliarum exceptionum, quia scilicet potest opponi indifferenter, tam ante lit cont quàm post, vt exceptio excommunicationis, vt in c pia de excep. lib. vj. & d. c exceptionem, eo. ti. Similis est quodammodo huic, exceptio falsi procuratoris, quia & illa potest opponi quandocunque etiam post sententiam. c. In nostram de procur & l licet C. eo. Item exceptio matrimonij Item non numeratæ pecuniæ. Item non numeratæ dotis, vt no in § appellantur. Insti de excep.

¶ *Libellus offerendus.*

Si Autem reo citato venienti ad iudicium non competant exceptiones prædictæ respondere tenetur actori, sed prius certificandus est reus super quo conuenitur & impetitur ab actore. Vnde offerri ei debet libellus, vt dicit tex. in c offeratur. iij. q iij. Offerat ei libellus q ad iudicium est vocatus xx. dierū gaudeat, iudicis, in quibus deliberat an velit cōtendere, an liti cedere.

¶ Videndū est igitur de libelli oblatione quod est secundū substantiale iudiciarii processus. Et primò quid sit libellus, & quomodo sit formandus, & quid in se continere debeat.

¶ *Libellus quid sit.*

LIBELLVS Est scriptura breuis continens personam iudicis, actoris & rei, rem quæ petitur & causam petendi, contra aduersarium necessariò inferens & concludens, vt c. j. & per tot de lib. obl. Quid autem continere debeat libellus his versibus continetur. Versus

Quis, quid, coram, quo, quo iure petatur & à quo.
Recte compositus quisque libellus habet.

Vide glo mag in c. j. de libel. obl Et quomodo causa petendi in libello exprimi debeat not. in c ij eo. ti. Nota, quòd libellus exigitur in scriptis necessario in causis plenariis & magnis, secundū doct. in c. j de lib ob Secus in causis summariis & vulibus xj q. j. c si quis cum clerico. Vide glo. in ver. necessario in cle. sæpe, de verbo signifi. Quomodo autem libellus sit sillogismus iuristarum, vide j. post xxx. folia. In processu coram ordinario in prima instantia.

¶ Formatur autē sic. Coram vobis venerabili patre domino iudice tali (id est ordinario vel delegato,) Ego N. ciuis talis propono contra A talem militem de tali loco, ꝙ ei mutuaui, vel alia causa tradidi xx flor in moneta cōmunis numeri & monetæ in regno currētis, &c. & realiter numeraui, quos mihi soluere promisit proximo festo paschę transacto, quod tñ hactenus non fecit, nec curat soluere, vnde peto quatenus ipsum ad soluendū dictā summam pecunię compellatis per vestram diffinitiuā, ac in litis expensis quas ob hoc fieri contigerit condemnetis Saluo tñ

iuris

iuris beneficio addendi, minuendi, corrigendi, mutandi, declarandi & alium si opus est libellum porrigendi.
¶De hac tamen clausula Saluo, &c. vide tex. & per doct. in c. inter dilectos post prin de fi. instru.

¶*Libellus conuentionalis.*

ET NOTA, quòd est libellus conuentionalis Et est ille per quem conuenitur reus ab actore, & debet hunc libellum actor offerre iudici seu notario apud acta, & iudex seu notarius, offerat ipsum (id est copiam eius,) ipsi reo. Quo oblato iudex dabit inducias deliberandi ipsi reo, in quibus deliberet an velit contendere vel liti cedere, vide glo. in ver. dilationes. c. quoniam contra de probati
¶Vnde apud nos sic seruatur in practica. Quia actor volens offerre libellū debet aduertere an fuit terminus ꝑ iudicē præfixus ad describendū. Et tunc termino adueniēte dicat actor vel eius procurator. Domine iudex, iuxta exigētiā termini hodierni, vel ad hoc ꝑ v p. limitati produco seu offero libellum in scriptis, cōtra aduersariū talem, petens eū admitti in contumaciā partis ad hoc terminū habentis. Et tunc aduersarius vel eius procurator, si est præsens, pōt dicere. Ego peto copias eiusdem libelli & terminum ad dicendum contra pręfigi. Si aūt offeretur libellus in primo citationis termino, tunc sic dicat actor vel eius procurator Pater reuerende, citatus est ad hodie talis, & hic produco citationē legitimè executā & cōtra eundē offero libellūin scriptis quem peto admitti, &c. vt prius. ¶Et tabellio accepto libello ab actore, taliter scribit à tergo eiusdem libelli. Anno tali, die tali mensis talis oblata per principalem introscriptum vel procuratorem principalis introscripti petentem admitti in contumacia partis legitime citati, vel ad hoc terminum habētis, & dominus inquantum de iure admisit Et hoc si est reus absens. Si autem est præsens, tunc tabellio scribat sic. Anno tali, &c in præsentia talis ex aduerso principalis vel sui procuratoris petētis copiam, & terminum ad dicendum contra præfigi, & obtinuit ex decreto domini iudicis ad octauam.

¶*Libellus reconuentionalis.*

ALIVS Est libellus reconuentionalis. Et est ille per quem

reus

reus conuentus, actorem suum reconuenit iudicialiter antequã diffiniatur causa & negotium actoris, vt no in c.j. & ii de mut. pet. Nam conuentio est ex parte actoris, recõuentio autem (i. secundaria conuentio) fit ex parte rei. Vnde libellus reconuentionalis includit quandam respectiuitatem. Quia reconuentio est dicto respectiua seu relatiua. Nam reconuentio non procedit, nisi præmissa conuentio Et tunc solũ proprie dr̃ reconuentio, cũ reus qui est conuentus petit sibi ẽt ab actore iusticiam fieri ministerio iudic. ¶ Et nota ꝙ licet reconuenire actorem ante litis cõtestationem, vel ipsa contestatione, vel etiam statim post litem con intelligendo antequam procedatur in meritis ipsius causę conuentionis pro aut & consequenter C. de sen. & inte. om. iudi. Ita tenet An. de Pomace in c.j. de mut. pet. super glo. vbi de hoc. Et iudex vicissim audiet vtramque causam, tam. s. conuentionis quàm reconuentionis, & vna sententia diffiniet, vt in d.c. j. de mut. pet. vide gl. in ver. in ipso exordio in cle. sępe de ver. si.

¶ *Vicia libelli.*

NOTA Etiam ꝙ libellus non debet esse obscurus neque equocus, neq; amphilogicus. Si enim fuerit talis, reus petet eũ reiici, alias petet sibi declarari eius obscuritatem. Sed hoc casu informaret partem Verbi gratia. Si petat actor à reo. xx marcas, petat reus sibi declarari cuius monetę fuerint. Item si petat actor agrũ, vel vineam, reus faciat aut petat compelli actorem declarare quis talis ager vel vinea, vel vbi sita sunt &c. Sed semper melius est reus, petat libellum obscurum & confusum reiici & lacerari per iudicem. vt no. in c. significantibus, de lib ob Quia iudex faciet facienda. i. inueniet medium, & decernet declarandum, aut corrigendum. &c.

¶ *Effectus libelli.*

ITEM Nota ꝙ tres sunt effectus libelli oblati ipsi iudici & parti primus. Quia per eius talem oblationem actio annalis perpetuatur. C. quando lib princi. dat lit. con. fa. l ii. Secundus. Quia rem litigiosam facit subsecuta per executorem conuentione. auth litigiosę C. de litig. Ita ꝙ talis res in libello petita. amplius ante decisionem causæ alienari per eum non p̃t. vt in c. ecclesia. vt lit pen. Tertius. Quia interrumpit pręscriptionem. l. sicut. C. de

de prescri xxx vel xl. anno De hoc vide glo. not in c.j. de lib. ob. Quomodo autem præscriptio interrumpatur nota in c. illud de prescriptio de actione autem annali quomodo perperuetur vide instit. de tempora. & perpetuis actio. in princ. Et hec de libello oblato.

¶ *Reo responsuro videnda.*

FINITIS Induciis deliberãdi, partes (actor scilicet & reus) ad iudicium redeunt. Et si reus conuenitur actione reali, sed ipsam rem ab eo per actorem petitam non possidet nec detinet, veniat in termino statuto in presentiam iudicis dicendo se non possidere nec detinere rem petitam in libello. Et per hoc negotium erit expeditum, quia dimittetur à iudicio. l in rem ff. de rei ven. c. vlt de excep Si autem possidet, sed nomine alieno, euicto rem talem nomini & coram iudice, & per hoc se exonerabit, de quo tex. opti. in c. quoniam frequenter. §. ꝙ si super, vt lit. non con ¶ Caueat tamen reus si possidet rem petitam, ne neget se causa possidere. Quia si de mendatio conuicitur, res petita ab eo aufertur & assignatur actori, donec reus probet se eius rei dominum esse, vt in l. pe ff de rei ven.

¶ Si verò possidet nomine proprio, tunc offerẽdo se liti defensioni, videat si sibi competant aliquę exceptiones contra iudicem vel actorem vel eius procuratorem, de quibus supra dictum est. Et si competant sibi aliquæ exceptiones contra libellum, tũc in tali termino constitutus easdem exceptiones producat realiter & in scriptis. Vnde si scribat. Ego N. talis Vel procurator & nomine procuratorio N talis, contra quandam chartam seu prætẽsum libellum pro parte talis in causa tali oblatam seu oblatũ, coram vobis domine iudex talis proponi, allegat & excipiendo deducit ꝙ tali libello, si meretur sic appellari, non venit responden dũ nec debet cogi, pro & ex eo, quia talis libellus est incõgruus, confusus, generalis, & obscurus, non declarans intentionẽ actoris (& specificet causas quanto meliores potest) ideo per vos domine Iudex memorate venit reiiciendus, & debet reiici ac lacerari partẽ aduersam in litis expẽsis cõdẽnando. Et tabellio à tergo hmõi exceptionũ contra libellum datum scribat sic. Anno tali, die tali. mẽsis talis oblata iuxta exigentiã termini ꝑ talẽ

principalem vel eius procuratorē, in præsentia ex aduerso prin cipalis talis vel eius procuratoris qui petiuit dictarum exceptio num copiam, & terminum ad dicendum contra & obtinuit ad quindennam, vel primam iuris. Si verò reo deficiunt huiusmodi exceptiones, tam dilatorię quàm peremptorię, nec vult actorem reconuenire, cogitur in termino statuto, libello respōdere, & ad hoc actor vel eius procurator debet contenta in libello proponere & petere cogi ad respondendum apud acta producto. Et iudex vel etiam ipse actor debet interrogare reum Vtrum contenta & propsita in libello credat esse vera & petita fieri debere. Et sic reo respondente fit litis contestatio, vt in. c. vnico de lit. Con. Vnde.

¶ *Litis contestatio.*

LITIS Contestatio est fundamentum iudicii per petitionem in iure propositam vel in scriptis porrectam, & congruum responsionem secutam, animo contestandi litem faciunt, quo omisso (si in figura iudicii proceditur) vexantur inanibus laboribus & sumptibus litigantes. Hanc descriptionē declarat latè Io. And. in rub. de lit. con. & Panor. in c. vnico eo. tit. Per hanc eandem descriptionem datur intelligi, ꝙ tunc dicitur fieri litis contestatio, quando in iudicio oblato libello actor aliqua narrat s. cum causa & ex narratis petit aliquid sibi fieri a iudice & reo, & ipse reus animo litem contestandi, respondet affirmando vel negando narrata prout narrantur, & petit conclusiuè petita per actorem fieri non debere.

¶ Et dicitur litis contestatio, quasi simul testatio vel declaratio mentis litigare volentium. Et sic litem contestari, non est aliud nisi simul testari ꝙ reus vult cum aduersario simul litigare secundum Innocen. in rub eo titu.

¶ Fit autem litis con. communiter per reū hoc modo. Ego Io. reus principalis, vel eius procurator, animo & intētione litē con testādi nego narrata ꝑut narranē, petēs petita fieri nō debere.

¶ Et notarius hanc litis cōtestationem ad acta inscribit sic. Anno tali, die tali, talis mensis. Honorabilis N. actori ad libellum summarium conuentionalem Ioan talis, animo & intentione litem conte. negauit narrata prout narrantur, vt supra. Et hoc si tantum libellus conuentionalis offertur.

¶ Si autem fuerit etiam reconuentionalis oblatus, notarius scribit sic Nicolai ad libellum conuentionalem Ioannes, & Ioannis ad libellum reconuentionalem Nicolaus, hincinde, & respectiuè negarunt narrata prout narrantur, animo & intentione litem contestandi, petens petita seu contenta in eisdem fieri nō debere, & iurabitur de calumnia tali die. Et ista litis contestatio fit negatiuè. Potest tamen fieri etiam affirmatiuè per confessionem ad ipsum libellum. Nota secundum Ioan And. in c vno. de litis contesta Si reus dixerit, nolo litigare, non est litis conte. Quia nec confitetur, nec negat. Similiter si dixerit volo litigare, oportet enim quod reus detegat animum suum ad litem affirmando vel negando, super re, quæ petitur ab eo.

¶ Vnde sciat iunior quod potest iudex ante libelli in scriptis oblationem facere & iubere factum proponi verbo per actorē vel eius procuratorem cap. pastoralis, de iudi Quo audito, statim, potest reum interrogare super facto Et si reus confiteatur, iudex ei præcipiat quod satisfaciat actori. Et per talem confessionem non fit litis con ex quo datio libelli non præcessit Ita no. glo. in versi. responsionem in c dudum ii. de elec § licet. Nec enim tunc fertur sententia diffinitiua sed fit præceptum reo vt soluat debitum infra certum tempus ff de iudi. l si debitori Secus autem si libellus fuisset oblatus & super illo secuta fuisset confessio, tunc enim deberet ferri sententia l Iulianus ff. de con fess & ita seruatur Et hanc cautelam commendat Guil. Spec. de lib. ob. ver. licet, quia per eam lites possunt minui quod fieri debet, ne sint immortales, vt in c finem de do & con & in l pro perandum, post prin C de iudi. Nota q post litis conte lis dicitur pendere, i quasi in dubio esse, & in suspēso. Nam dubius est exitus litis sicut & belli ii reg. xi Quamuis etiā dicatur lis pendere per recusationem consultationem appellationem & relationem vel quàm diu sententia diffinitiua non fuerit lata de quo not in tit. vt lit. pend. per totum.

¶ *Effectus litis contestationis.*

EFFECTVS autem litis contestationis est multiplex. Nam post eam iudex non recusatur, nisi ex noua causa, vt in c. insinuante. de offic. dele. Item per eam omnis actio temporalis perpetuatur

perpetuatur, & vsque ad xl annos extenditur, & postea transit ad hæredes, vt C. de præscrip xxx. vel xl an sæpe. Saluo eo quod dicitur de actione de dolo, quæ non perpetuatur per litis conte. C. de do. l de dolo. Item post eam fit vsuraria, quæ prius non erat. ff. de vsur. l lite. Item, interrumpit quamlibet præscriptionem. xvj. q iiij Post eam nulla dilatoria obiicitur, vt in c inter monasterium, de re iudi. nisi excommunicationis, vt in c. pia. de excep. lib vj. Item post eam non potest reuocari mandatũ procuratoris, nisi certis ex causis c ij de procura lib. vj & ff de procur l. litem. Item post eam prorurator, & tutor, tanquam domini litis procuratorem constituere possunt. d c. ij de procu. li. vj. & C. eo neque Item post eam delegatus ab alio quàm à principe potest alteri causam committere c cum Bertholdus, de re iudi de quo tamen dic, vt ibidem. in glo in ver. committẽtibus Quia corrigit illum tex Item post eam iuratur & probationes recipiuntur, quòd ante non fit regulariter, vt lit. contepertot. Item per eam clauditur via multis malitiis, & reus iudici subiicitur & obligatur actori C. de procu l neq; ff de redhibito l. ediles. §. item sciendum hæc spec de litis con § fi.

¶ *De iuramento calumniæ.*

LITE Contestata, actor & reus regulariter statim iurare debent de calumnia c j & ij & c cum causam, in fi de iura. calum Et hoc vocatur iuramentum calumniæ, cũ quis iurat, quòd bona fide, & sine dolo agat, & respondeat, vt si est actor, agat, si reus, respondeat Et est calumnia, falsa petitio, vel actio Nam calumniari, est falsa crimina scienter intentare, & alicui imponere. ij q iii. § notandum. Et inde dicitur iuramentum calumniæ, subauditur vitandæ, sicut aliàs dicitur, habeat vnusquisque suam propter fornicationem, scilicet vitandã, non committendam, vt xiii dis nerui testiculorum, prope fi. Sensus ergo est iuramentum calumniæ vitãdæ, scilicet quia partes debent vitare calumniam in actione vel accusatione. ¶ Non est tamen de substantia iudiciarii ordinis, quòd statim post litẽ cont. iuretur de calumnia, nec annullatur processus, licet tacitè ommittatur iuramentum calumniæ, vt dicit tex. in c j eo ti lib. vj. Expresse tamen remitti non potest. C. de iura. cal ii. § sed quia,

nec

nec valet consuetudo de ipso non præstando sic, nec quis pacisci potest. vt non teneatur de dolo. vt l.j. §. si conueniat ff depos. Quia vtrunque bonam fidem, & bonos mores, ideo non sequendum.

¶ *Forma iuramenti calumniæ.*

Si est Actor, iurabit, quòd credit se habere iustam actionem, similiter reus. Item iurabit vterque, quod interrogatus à iudice non negabit dicere verum, nec dabit scienter falsam probationē, nec petet malitiosè dilationē friuolā i inducias friuolas, vt causa protelatur, & dilatetur. Item iurabit vterque, quod nec dedit, nec dabit, nec promisit, nec promittet aliquid iudici, vt ferat sententiam pro eo Et sic iurando, si est clericus ponat indicem cū medio digito super euangelium, si autem laicus super imaginē Crucifixi flectendo, & mitram, aut peplum deponendo Et id quidem in omni iuramento seruandum est. Hæc forma iurandi de calumnia continetur his versibus.

Illud iuretur quod lis sibi iusta videtur.
Et si quæretur, verum non inficietur.
Nil promittetur, ne falsa probatio detur.
Vt lis tardetur dilatio nulla petetur.

¶ Si verò actor noluerit præstare hoc iuramentum, pœna eius erit, quia cadet à causa, i. non permittet eum iudex agere. Pœna verò rei recusantis iurare est, vt pro confesso habeatur. i. reputetur ita reus ac si confessus esset se debitorem. c. fi. de iur. cal.

¶ Hoc iuramentum ideo est inuentum, vt homines huius iuramenti metu, non faciliter litigent, nisi credant se iustam habere litigandi causam, Vnde iuramentū debet habere tres comites, scilicet veritatē, iudiciū, & iustitiam, de quo vide in c. etsi Christus de iure iuran Et iuramētum non extenditur ad illicita mādata & statuta, vel impossibilia, aut obuiantia ecclesiasticę libertati, de quo in c. j de iure iur. lib. vj.

¶ Sciat iunior quadruplex esse genus iuramenti.

¶ Primum est decisorium, quod defertur in defectu probationum, & deciditur causa per illud inter litigātes. De hoc habet in c. fi. de iureiur. Et tale est triplex. Quoddam. n est iuramentum conuentionale, seu voluntariū, super quo partes ipse conueniūt inter se extraiudicialiter, vt si petis à me decem, & ego nego tibi

 debere,

debere,tñ defero tibi iuramentnm,ꝙ tu suscipis,& iuras me tibi debere Aliud est necessarium ꝙ necessitate à iudice imposita defertur vel suscipitur iudice deferente nec potest recusari nisi ex iusta causa l mandante ff. de iureiur Quoddam est delatorium & iudiciale,ꝙ in iudicio à parte parti defertur, vel refert, & manifestè turpitudinis & confessionis est,nolle iuramentum delatum suscipere nec relatum subire vt dr̃ in l. manifestè.ff de iureiu vide gl in al c si eo ti ¶Secundum est iuramentū de malitia,ꝙ præstatur super exceptionibus vel cum aliquid loco exceptionis proponitur Et prçstatur hoc antequam post litem cō testa.semel vel pluries.in ciuilibus & spiritualibus ac criminalibus causis,quotiens prçsumptio est contra aliquē ꝙ aliquid malitiosè proponat,vt ff.ad exhiben.l.thesaurus,de ele.cū dilectus vbi suspectus est qui post terminum peremptorium dilatoriam proponit, & ideo ibi iurat,vide capitulum secundum de iuramē to calumniæ libro sexto, Tertium est iuramentum de veritate dicenda, quod præstatur in spiritualibus vel annexis spiritualibus in quibus non iurabitur calumnia secundum antiqua iura, vt in capitulo literas,de iuramento calum. Sed dicit Spec. certè cum maius periculum sit in his calumniari quam in ciuilibus, multo fortius videtur in spiritualibus de calumnia iurandum. Et ita hodie seruatur.vt in c j §.vl eo ti lib vj.

¶Quartum est de calumnia scilicet vitanda de quo supra dixi.

¶Differt autem iuramentum de calumnia à iuramento de veritate dicenda, quia in isto respondetur de scientia quam iurans scit,hoc est,de eo ꝙ iurans scit vel nescit esse verum. In iuramē to verò calumniç,iuratur. de credulitate.i. secundum ꝙ iurans credit & çstimat,taliter tenetur respondere.

¶Item iuramentum calumniç differt à iuramēto malitiç Quia iuramentum de calumnia prçstatur tm̃ post litem con.vt patet ex tex.c qm̃ contra de proba.ex órdine verborum,& ex serie rubricarum secundi libri decreta. vbi post rubricam de litis con. ponitur rubrica de iuramento calumniæ. Iuramentum autem malitiç potest prçstari & ante & post, de ele.cum dilectus. c.in causis,de testi.& c.pe.& vlt.Item iuramentum calumniç semel tantum præstatur in causa & extendit se ad omnes actus causç vt supra.Iuramentum verò maliciæ præstatur quotiens aliquid dici vel fieri maliciosè præsumitur,etiam si de calumnia vel veritate

rtate iuratum sit, vt est tex. in c ii. § si eo. ti. lib. vj.

¶De interrogationibus in iudicio faciendis.

POSTQVAM Præstitum est iuramentum calumniæ à partibus, vt dictũ est, interrogãdę sunt partes per iudicem. Et debent aduocati partium offerre illas interrogationes. Verbi gratia. Aduocatus actoris rogabit iudicem dicẽs. Domine iudex interrogetis reum quo iure possidet agrum talem vel vineam. Et si reus responderit, ꝙ iure hæreditario, interrogetur vlterius qs ille fuit cui successit in tali re tanquam hæres. Item si reus respondeat quòd titulo emptionis rem possideat, interrogetur à quo emit & pro quanto pretio, & vbi, & coram quibus, & pro quali moneta. Et omnes responsiones rei scribendæ sunt ab aduocato actoris, aliàs per notarium instante actore. Similiter aduocatus rei dicat iudici Domine iudex interrogetis actorẽ quo iure petit rem à me. Si tunc actor respondeat quòd titulo emptionis vel donationis talem rem petat, similiter interrogetur à quo emerat vel donatam habuit. Et generaliter quicquid respõdeat actor ad interrogata rei scribendum est ab aduocato rei, alias à notario ad instantiam aduocati ipsius rei ¶Si quid autẽ reus confessus fuerit in iudicio contra seipsum, pro conuicto habebitur, & feretur sententia contra eum ex ipsius confessatis.
¶Nec obstat si dicatur quòd in confessum nullæ sunt partes iudicis. l proinde. ff ad l. aqui & c. prętera de transac. Quia illud verum est in cognoscendo, non in sententiando. Ita quòd iudex contra confessum, non interponit officium suum cognoscendi, sed bene sententiam ferendi. Nam contra confitentem ex sua confessione feret sententiam. ¶Prædictæ verò interrogationes non semper fieri solent, neque vbique locorum, sed sepius prætermittuntur ab aduocatis.

¶De positionibus.

VNDE Positio secundum Io. An. est breuis verborum formula, mentem ponentis continens ad veritatẽ eliciendam concepta. Vel secundum Vincen. positio est assertio alicuius dicti vel facti, vt ad ipsam, aduersario ponenti respondeamus. Vnde

positioni multiplici impertinenti negatiuę, captiosę obscurę, & generali, non est purè respondendum, de quo Spec latè in ti. de positio. § septimo. videndum Quantum autem ad præsens atti net. ¶ Sciendum, ꝙ loco interrogationum successerūt hodie po sitiones, vt, ꝙ olim interrogatiuè fiebat, hodie fit positiuè. Verbi gratia Dicebat olim actor. Interrogate domine iudex an reus sit hęres & pro qua parte, hodie dicitur, seu scribit actor. Pono te es se talem hęredem Item pono te esse hęredem ex asse. i. tota hæreditate. &c. Ex his collige, ꝙ positiones & interrogationes in hoc differunt. Quia positiones fiunt assertiuè & à parte, interro gationes autem fiunt interrogatiuè & à iudice. Conueniunt ve rò quia tam positiones, quam interrogationes debēt fieri super contentis in libello, ad hunc finem, vt per confessionem aduersarii releuetur ponens ab onere probandi. c j. de conf. lib. vj ff de inter. act. l. ii iii & iiii Nam qui positiones vel interrogata confitetur. habetur pro conuicto. C de confes. l. vnica § j. Et positioni bus non respondere iussus per iudicem habetur pro confesso. c. ij de confes. lib. vj. & c. fi. de iura. cal. in fin.

¶ *Confessio quando noceat.*

AD Hoc autem vt alicui noceat propria confessio multa re quiruntur, quæ complectuntur his versibus.

Maior, sponte, sciens, contra se, vbi ius sit & hostis.
Certum, nec natura, fauor, lis, iusve repugnet.

¶ Hæc declaratur in gl. c. fi. de confes. in antiquis, & ibi Ab.
¶ Dicitur maior. Quia si aliquis infra xxv annos confessus fuerit contra seipsum, non sibi pręiudicat ff. de min. l. non omnia.
¶ Sponte. Quia confessio per metum extorta non nocet, & eo minus per torturas, nisi perseueret confitens. Nihil enim ratum esse potest quod metu extorquetur. ff. de quæsti. l. j. respon. j.
¶ Sciens. Quia si quis fuerit confessus per errorem contra se & probet errasse, non nocet ei Nihil enim est tam contrarium cō sensui quam error, & qui errat non consentit. xxix q j § j
¶ Contra se. Quia confessio pro se non prodest xiiii. q. ii. § j.
¶ Ius sit. Quia confessio extra iudicium aut nō coram suo iudi ce facta, non nocet de iudi. at si clerici.
¶ Hostis vbi sit. Quia si fiat confessio absente hoste. i. aduersario

rio vel procuratore suo non nocet confitenti. ff. de interro acti. l. vlti. §. Certum. Quia si ille qui confitetur dat incertam & obscuram responsionem de aliqua re, non valet confessio.

¶ Nec natura repugnet. Quia siquis confiteatur quidpiam quod esset contra naturam, non nocet, vt si quis confiteatur se occidisse hominem qui adhuc viuit, vel illum esse filium suum qui est senior eo. ¶ Nec fauor repugnet. Quia si aliquis ingenuus cõfiteatur se esse seruum, non nocet ei si probauit contrarium, & hoc est propter fauorem libertatis. Nam libertas est res inestimabilis ff. de reg. iu l. libertas.

¶ Lis repugnet. Quia si aliquis confitetur super aliqua re de qua non est lis, non nocet ei confessio. Verbi gratia. Tu petis à me agrum, & ego confiteor quòd domus mea non est. ¶ Iusve repugnet. Quia si confessio fiat contra ius, non nocet, vt si Christianus confiteatur se esse seruum iudęi, de iudę. c. si vel confiteatur se maritum infidelis xxviii. q. j. caue. ¶ Et nota ꝙ ad positiones debet respondere pars, non aduocatus, imo cauti iudices solent tunc aduocatos expellere, ne doceant clientulum falsum respondere. alias tenentur tales aduocati ad damna resarcianda quę ob hoc pars aduersa pertulit ex onere probandi vel amissione causę de iniur. c. vlt. l. dis. sępe. Quia qui occasionem damni dat & c. d. c. vl.

¶ *Positiones & ante litem con. & post.*

ITEM Nota ꝙ quãdocũque faciendę sunt probationes, fieri possunt positiones siue ante litem con. siue post Verbi gratia. Si reus citatus vult actorem repellere à iudicio ante litem con eo quòd ipse actor sit excõicatus quia percussit clericum, tunc reus sic ponet. Pono quòd percussisti talẽ. Itẽ quòd in tali parte corporis. Item pono quòd gladio. Item quòd in tali loco Item pono quòd tali die. Item pono quòd talibus pręsentibus. Item ꝙ ex tali causa turbatus percussisti illum. Item pono quòd animo iniuriandi. Item quòd ille tunc erat clericus. Item pono quòd sciebas illum clericum esse & vidisti eum deferre tonsuram & habitum clericalem His enim per actorem confessatis, probata est excommunicatio, alias reus hoc tenebitur probare. Vnde solet apponi in fine positionum. Hæc si negata fuerint probare intendit, ad superfluam tamen probationem se non astringen-

do,de quo solenniter protestor vel protestatur. ¶Post litem & contestatam fiunt positiones. Verbi gratia. Peto aliquem ab ecclesia quam contra iura retinet remoueri, & dicam sic. Pono medio iuramēto, meo quòd talis N. habet & possidet ecclesiam sancti Petri in tali loco Item Pono, ꝙ habet & possidet ecclesiam sancti Marci. Item ꝙ quęlibet habet curam animarum, Item pono ꝙ eas post concilium generale(de quo in c. de multa,de præb)acquisiuit. His enim confessatis succumbit reus, nisi dispensationem vel iustam causam ostendat. De huiusmodi positionibus vide op gl mag in c j. de confess. lib. vj. & infra in practica exemplari.

¶*De speciebus probationum.*

DICTVM Est quid iuris sit quando reus in iudicio confitetur ea quæ actor contra eum proponit. Verum quia negante reo incumbit actori probatio v. q. vlt c. fi. ideo videndum est de probationibus ¶Est autem probatio, rei dubię in iudicio legitimè facta declaratio, & hoc fit per testes, per instrumenta vel aliis modis, qui principales sunt nouem. Versus.

Aspectus,scriptum,testes,notoria,sculptum.
Iurans,confessus,præsumptio,fama probatum.

¶Primus modus est per aspectum corporis, vt si vir dicat se cognouisse mulierem & illa negat, committitur mulier inspicienda matronis peritis & probis, an remaneat virgo c. proposuisti, de proba. Item probatio fit per aspectum in atroci iniuria ff. de iniur l. ii. Atrox enim iniuria ponderatur ex loco & vulnere & coram quibus, insti de iniur § atrox. Vnde assertioni medicorum creditur, an sit vulnus letale nec ne. c. ad aures, de æta. & qua. l. septimo mense ff de sta. ho Item probatio fit per aspectū in ętate. ff de mino. l minor c puberes, de despon imp.

¶Secundus modus probationis est per scripturam instrumenti publici. de quo infra videbimus. ¶Tertius per testes plures. c licet vniuersis de testi ¶Quartus per euidentiam facti & notorietatem, vt si clericus habet animalia bipedia super terram gradiētia in domo conuincitur per euidentiam facti de incontinentia c tua & c clericos. de coha cle & mul ¶Quintus per scripturā antiquorum librorum. vel per sculpturam in lapidibus & imaginibus. c cum causam. de proba. ¶Sextus per iuramenti dila-

tionem-

tionem.i. quando vna pars alteri defert iuramentum vt iuret ꝙ ita sit sicut dicit.c.fi.de iureiur ¶ Septimus per spontaneam propriam confessionem in iure factam ii q j. nos in quemquam, de quo supra vidimus, vide tex.in c cum ad sedem, de resti. spol. ¶ Octauus per pręsumptione violentā vt in c. literas de præsum. Vt cum videtur solus cum sola, nudus cum nuda, in loco suspecto præsumitur ꝙ eam cognouit carnaliter. ¶ Nonus per famā cum aliis præsumptionibus. c. tertio loco de præsump. Et si iudex dubitat de fama, quærat a vicinis ff. de magi conue.l j. Potest autem fama probari per duos testes. c.in literis, de testi. ita quòd testes iurabunt famam esse sparsam per viciniam de re de qua fama esse dicitur. Et per famam cum vno teste in causa ciuili fit plena probatio c.sicut de proba. Non tamen debet quis cōdemnari de crimine per famam & vnum testem, vt in gl ii in c. veniens i.de testi. Nam in crimine debent esse probationes apertissimę, & clariores luce meridiana, secus in causa ciuili l.fin C. de proba. ¶ Nota ꝙ si pariter & æqualiter probant actor & reus, debet reus absolui Quia cum sint partium iura obscura, reo potius fauendum est quam actori.c ex literis de proba. Et hoc verum est, nisi actor fauorabilem causam foueat.c. fi. de re iudi. Versus.

Stat testamentum, libertas, coniugium, dos.
Si sunt æquales qui producuntur vtrinque.

¶ *De speciebus præsumptionibus.*

ET QVIA Supra mentio facta est de vehementi pręsumptione ideo nota ꝙ quatuor sunt species præsumptionis Quædam enim præsumptio est temeraria quę consurgit ex causis & suspitionibus leuibus & à malis hominibus. Vt si videro virum cum muliere semel colloquentem & pręsumo eos loqui de re illicita, præsumptio hæc esset temeraria, quia possunt licita & necessaria tractare, & talis repellitur à probatione. vj q j oues c.fi. de præsump Nam de quolibet præsumendum est bonum, nisi probetur contrarium, vt ibidem dicitur ¶ Alia est probabilis seu verisimilis, q̃ cōsurgit ex multis causis & suspitionibus simul iunctis, vt si vir visus est sæpe cū muliere in secreto confabulari & vterq; est iuuenis præsumuntur illicita tractare, ar. lxxxi dis. clericus solus Et dr̄ probabilis & iusta i. iustè causata & non temerè. Veri-

rè. Verisimilis autem, quia reddit factum verisimile, non tamen ita violenter vt sufficiat ad sententiam, sed iudex procedet s m doctrinam in c.ii.de cohab. cle.& mul & no in gl.fi.c insinuatum, de simo. & c.si quis de pur.can. ¶Tertia est violentá quæ consurgit ex causis magis vrgentibus & vehementer probantibus de qua supra in octauo modo probationum exemplificatũ est, & hæc reputatur sufficiens ad pronunciandum & condemnandum, vt in c literas. & c.tertio loco de præsum.xxxii q.j.dixit dominus. ¶Quarta est necessaria quę est iuris & de iure simul, cum scilicet ius præsumit aut fingit & statuit de præsumpto vel ficto, contra quam præsumptionem vel fictionem non admittitur in contrarium probatio. Vt si mulier sponte cohabitat viro & postea dicit se inuitam ei nupsisse nõ creditur ei: imo p̃sumitur ꝙ per talem cohabitationem in eum consenserit, adeo ꝙ non admittitur mulier ad probãdum contrarium, vt in c.ad id & is qui ubi bo gl de spon. Vide gl.in c ferrum.l dis. & gl.op. in l non est verisimile ff quod met.cau Vide Panor.in c. quanto, de præsump.

¶De numero & iuramento testium.

QVIA Item dictum est supra in tertio modo probationis ꝙ probatio fit per testes plures No ꝙ in qualibet causa regulariter ad minus duo testes idonei sunt necessarii Iuxta illud Matthæi.xviii. In ore duorum vel trium testium, stat omne verbũ. c veniens.i.& c licet vniuersis.de testi. Et hii non sunt introducendi in iudicium nisi post litem contesta vt lit non conte per tot Et debent iurare (cuius iuramenti forma supra posita est cũ diximus de personis in iudicio interuenientibus) alias non creditur eorum depositionibus quantuncunque præfulgeant dignitate. vt in c nuper.& in c tuis eo ti ¶Item citatio præmitti debet tam contra testes, quam contra partem contra quam inducuntur, vt videat pars eosdem testes induci & iurare, alias eorum testimonium non valet c ii de test ¶Et postq̃ testes inducti iurauerint, tabellio iuxta stilũ nostri oꝛ ũ,à tergo citationis contra testes emanatę sic scribit. Anno tali, die tali, mensis tali: oblata ꝑ principalẽ vel eius ꝓcuratorẽ petentẽ introscriptos testes legitimè citatos admitti, alias ꝓut intro cõtinet, ĩ p̃sentia ex aduerso principalis (si aduersarius est p̃sen·) vel eius ꝓcuratoris ꝓtestãtis

velle

velle excipere vel opponere contra personas & dicta eorũdem testium loco & tempore suis oportunis, & dominus inductionem & protestationem admisit, præsentibus ibidem notariis curię, sociis ¶ Tandem iudex, vel de mandato iudicis notarius peritus in secreto examinabit quẽlibet testem seorsum, ita quòd vnus non audiat alium. Et veniens ad examen testium, sic scribat, Anno tali, die tali, &c testes infrascripti. A. de S. H de P. &c. citati & iurati per me N notarium causæ de mandato dñi iudicis R. pro parte nobilis A. de G productí, sunt examinati & deposuerunt in hunc qui sequitur modũ. ¶ Primus testis talis &c. Et singulorum responsiones, vel depositiones diligenter scribat tam super causa principali quam super interrogatoriis aduersæ partis, puta an interfuit tali loco facti, vt in c. venerabili. de testibus. Et si ille dicit ꝙ sic, interrogandus est quo die, quo loco loci i. an in stuba vel caminata talis domus, & an domus sit alba, vel nigra. Item in qua parte anni, & quot anni transacti sunt. Item coram quibus hoc factum sit. De his & aliis circunstantiis interrogabit eos examinans, & diligenter consideret si testis palleat, aut titubet in aliquo dicto suo, quod etiam diligẽter scribat, prout latius videbimus in practica exemplari.

¶ Nota, ꝙ si coram iudice principalis protestatus est contra personas testium velle aliquid excipere, vsque post publicationem testiũ tuas exceptiones propones Si autem coram iudice remissario tunc potes statim post eorum depositiones, tuas protestatas exceptiones contra eorum personas opponere. Vide text. cũ no in l. iudices, & in auth. ibi, seq C de fi instru & in c constitutus, de fideiuſ Et tali protestatione facta si quid præfati testes ꝓ te deposuerint non eis credetur, quia præsumitur ꝙ ideo deponerent pro te, ne eos per tuas exceptiones de aliquo crimine repellas. c pręsentium de testibus.

¶ *De publicatione testium.*

DICTIS Testium singulorum in scripto redactis, iudex, debet præfigere terminum ad publicandum, vel manifestandum dicta test um Et communiter hoc facit ad instantiam partium, vel alterius earum quę procurat citari aduersarium ad videndũ & audiendum publicari dicta testium. Quo termino citationis aduenicnte, publicentur dicta testium in iudicio, vtraque parte præsente. Regulare enim est, quòd publicationes testium debent

debent fieri vtraque parte pręsente, vel saltem altera per contumaciam se absentante. Et talis publicatio fit per iudicem, cum pronunciat iudex, dicens. Decernimus tales attestationes in tali causa, habendas pro publicatis. Alicubi autem legit iudex, vel de eius mandato notarius, partem illarum attestationum publice in iudicio, & per hoc vult eas esse publicatas. ¶Facta tali publicatione testium siue eorum dictis recitatis in iudicio, petat pars contra quam, aut aduocatus eius, vt sibi iudex det copiam huiusmodi attestationum, id est testimoniorum. Petat etiã alia pars, vel eius aduocatus, quòd iudex præfigat terminum ad excipiendum cõtra personas & dicta testium. Et omnia ista tabellio actitet in scriptis. Quo die seu termino sibi præfixo ad excipiendum adueniente, pars cõtra quam accedat ad iudicium & excipiat, tam contra personas (si vult) quam contra dicta testiũ contra personas in scriptis excipe. ¶Contra personas sic in scriptis excipiat. Talis non potest esse testis, quia est patris, filius, vel frater actoris, vel est mulier, vel vitiosus, vel infamis, simoniacus, latro, homicida, fur, periurus, &c. Et huiusmodi exceptiones dicuntur personales, quia obiiciuntur contra personas testium, de quibus etiam supra dictum est. ¶Debent autem huiusmodi exceptiones dari in scriptis, vt sint occultę & non publicatę vocaliter in iudicio, quia alias posset aduersarius cõtra te agere de infamia. Vide c. j de excep. & quòd ibi not.

¶Contra dicta testium possunt fieri sic exceptiones. Domine iudex. Dico testimonium non valere propter diuersitatem loci & temporis. Quia vnus asserit, ꝙ in ecclesia actum sit, alius dicit, ꝙ in foro. Item vnus dicit ꝙ die dominico & festo, alius die Iouis & non celebri. Item vnus dicit, ꝙ tali parte anni puta, in autumno circa festum sancti Michaelis, alius in æstate circa festum sancti Ioanni Baptistæ, &c. Cum ergo actor non probat intẽtionem suam per præfatos testes quos pro se, & sua parte, ac intentione fundanda induxit, peto vt ab impetitione & instantia ipsius me absoluatis, eidem perpetuum silentium imponendo & in expensis litis eundem mihi condemnando, vestra diffinitiua, aut interlocutoria habente vim diffinitiuè, mediante. Hæc omnia latius infra in exemplari practica extenduntur.

¶Sciat iunior ꝙ contra testes inductos, admittuntur alij testes induci, quia appellantur reprobatorii. Item contra istos secundos

dos reprobatorios, admittuntur alii tertii, qui appellantur reprobatoriorum reprobatorii. Ita ꝙ in vna & eadem causa actor admittitur inducere testes duplices reus vero vnicos, de quo in c. ii. de testi. li vj. & c. licet dilectus in antiqu. eo. ti. Versus.

In testem testis, & in hunc, sed non datur vltra.

¶ *De instrumentis.*

RESTAT Videre de specie probationis, quæ fit per instrumenta, & de exceptionibus contra instrumenta. Est autem instrumentum in proposito, scriptura ad assertionem, seu probationem alicuius rei facta. Et dicitur instrumentū, quasi instruēs mentem, scilicet iudicis. ¶ Instrumentorum autem aliud publicum, aliud priuatum. Publicum dicitur quòd publicam habet authoritatem. Eius plures sunt species. ¶ Vno modo dicitur publicum, quia per manum publicam est scriptum, id est per manum tabellionis, seu publici notarii. ¶ Secundo dicitur publicū, quod est sigillatum sigillo autentico, scilicet sigillo episcopi, vel capituli, vel alicuius notabilis personę, de quo not. in c. post cessionem, de probat. ¶ Tertio dicitur publicum, quod authoritate iudicis autenticatum est, vel quod in iudicio scriptûm est. ¶ Quarto, ꝙ habet subscriptionē duorū, vel triū testium idoneorum. ¶ Quinto dicitur publicum, quod de archiuio, id est de publico armario vniuersitatis producitur, sicut liber censualis in quo census & redditus scribuntur.

¶ Priuatum instrumentum est, ꝙ aliquis facit sibi scribi, vel aliis, vel sibi & alii simul. De his not. do. in c. j. de proba.

¶ Nota, quòd si partes habent aliqua instrumenta per quæ probare aliquid intendunt, debent illa producere ante publicationem testium. Non est tamen præcipitandum, vt edas instrumēta siue tua, siue aliena, nisi per compulsum, id est per literas iudicis monitorias, quibus solent monere, vt hi qui habeant aliqua monumenta ad talem causam seruientia inter tales agitatam, ea sub pœna excommunicationis coram nobis tali die reponāt. Et cum ea cōtigerit produci, si non est præfixus terminus parti aduersæ ad videndum talia produci, citetur eadem pars. Et in termino producti instrumēti recognoscatur sigillum per testes idoneos, & manus notarii.

¶ Potest etiam fieri conclusio edendi talia instrumenta per ipsum

sum iudicem ad instantiam partis, quę petit executorem à iudice, vt ipse executor moneat talem, vt edat tale, vel tale instrumētum. Et hæc omnia tabellio signet in actis. De instrumentorū editione tractant do in c.j.de proba.

¶Et si aliqua partium voluerit transcribere instrumentum, vel inspicere priuilegium alterius partis, datur ei copiam transcribēdi per notariū, prius quam reddatur aduersæ parti cuius est.

¶*De exceptionibus contra instrumenta.*

NOTANDVM Quod multis modis contra instrumentū excipitur, scilicet contra formam, stilum, filum, bullam, rasuram. Et hoc maximè fit in literis Papę, de quo tractatur in c.licet, de cri.fal. Versus

Forma, stillus, filum, rasa membrana, sigillum.
Hæc sex falsata, dant scripta valere pusillum.

¶Solennitas autentici consistit in his octo puta, vt præponatur nomen summi Pontificis, Annus domini, inditio mensis, dies, locus, testes, & nomen notarii, de quibus not.gl.in l.generali, C. de tabula. lib.x.

¶*Terminus ad producendum omnia.*

POSTQVAM Publicata sunt dicta testium in iudicio & instrumenta exhibita vtrique parti ad inspiciendum, seu trāscribendum concessa. Et tunc si potest pars aduersa aliquid replicare contra talia, replicet, & iterum alia duplicet, & contra iterum prior triplicet, & alia vltimò quadruplicet, rationes & allegationes inducendo pro suæ causæ informatione hinc inde. Deinde procurator actoris procuret citari aduersam partem ad videndum, & audiēdum produci omnia, & singula iura & munimenta, literas, scripturas, priuilegia, & instrumenta sibi in huiusmodi causa necessaria, ipsumque reum compelli ad dicendū contra ea, si quid habeat, verbo, vel in scrip. ¶Quo termino adueniente, procurator actoris dicat: Ego procurator & nomine procuratorio talis actoris, satisfaciendo termino hodierno, reproduco hæc singula, & huiusmodi producta verbo Et si habuerit aliqua, quæ non sunt prius producta, illa producat in scri

ptis.

ptis. ¶Et procurator rei sic dicat. Ego peto mihi dari copias istorum de nouo productorum, & terminum statui ad excipiẽdum, siue dicẽdum verbo, vel in scriptis contra omnia & singula producta in huiusmodi causa. Et tunc si vult actor, vel eius procurator, replicet contra illas exceptiones, & reus iterum duplicet contra replicationes, prout supra.

¶Terminus ad concludendum in causa.

DEINDE Actor vel suus procurator procuret reum, vel ipsius procuratorem citari ad vidẽdum, & audiendum cõcludi in huiusmodi causa, vel ad dicendum & allegandũ causas rationabiles, quare in huiusmodi causa concludi non debeat. Et idem potest facere reus, vel suus procurator si videret actorem deficere, & tepescere in causa. ¶ Quo termino adueniente actor, vel eius procurator dicat. Ego procurator, &c. ipsius actoris peto in huiusmodi causa cõcludi, & mecum pro cõcluso haberi. Ex aduerso autem reus, vel suus procurator si quã habuerit causam rationabilem, quare in huiusmodi causa non sit concludẽdum, illam proponere debet. Et si illam causam iudex audire recusauerit, reus vel suus procurator protestari debet de grauamine, & appellando. Quod semper facere debet, quotiens se grauari prætendit.

¶Sed si reus vel ipsius procurator non habuerit causam rationabilem impediendi cõclusionem, iudex potest cum ambabus partibus concludere in huiusmodi causa, & pro concluso habere, & ex post partibus hinc inde terminum assignare ad videndum, & audiendum sententiam diffinitiuam in huiusmodi causa ferri & promulgari.

¶Scito autem, quòd apud nos frequenter iudices non concludunt in causa, nisi dum debent diffinitiuam pronunciare. Vnde antequam incipiant legere sententiam, dicunt sic. Concludimus in causa, dilationes & appellationes, si quæ sunt, resecamus.

¶ *Sententia duplex.*

QVIA Tractandum est nobis de sententia. Ideo præmittendum est, quòd sententia, alia est interlocutoria, quæ est sententia semiplena, & profertur inter principium & finem causę, non super principali negotio, sed super emergētibus, vel emergenti, vel incidentibus quibusdam quęstionibus, vt super libello, per partem offerendo, vel ad eundem libellum respondere partem cogendo, vel dilationes in tali productione testium vel instrumentorum dando. Et hanc reuocare potest iudex, siue ordinarius, siue delegatus, siue arbiter. Vide glo. ij. q. j. in sum & glo. in cle. vnica. de seques. pos & fru.

¶ Alia est sententia diffinitiua, quæ est iudicialis diffinitio, controuersię finem imponens ex pronunciatione iudicis, condemnationem, vel absolutionem continens, vt l j. ff. de re iudi. Quā semel latam, iudex reuocare non potest, siue benè, siue malè tulerit etiam si sit successor iudicantis C. sen. rescin. non pos l. j Et iudex esse desinit, & officio suo fungi, licet adhuc retineat iurisditionem quo ad exequendum eandem sententiam c. in literis. & c. quærenti. de offi. dele l. iudex. ff de re iudi.

¶ Ferenda autem ē sententia à suo iudice, quia aliàs à nō suo iudice lata est nulla, vt in c. at si clerici, de iudi etiam in foro poli. vt in c. quòd autem, & c. omnis de pœni. & remis.

¶ Itē quomodo sententia fit iniusta tribus modis, scilicet ex causa, ex animo, & ex ordine. Vide gl. iij. c. sacro. de sen. excom.

¶ *Terminus ad videndum, & audiendum diffinitiuam ferri.*

POSTQVAM Itaque producta sunt omnia causæ munimēta, & allegationes sunt factę ab aduocatis partium, iudex debet motum animi sui informare secundum dicta testium & instrumentorum, quibus lux veritatis magis assistat capitulo prę terea, de testi. & maximè secundum allegationes, & rationes aduocatorum, & iurisperitorum. Deinde cum iudex inspexerit, & discusserit merita causę plenissimè, debet ipsum negotiū terminare per diffinitiuam, postquam conclusum est in causa. Et tunc aduenienie termino, quo debet sententia ferri vna pars

procuret aliam citari ad videndum & audiendum sententiam diffinitiuam in huiusmodi causa ferri. Et in eodē termino pars citans, vel eius procurator dicat sic. Ego procurator talis N. produco citationem debitè executam, & partis aduersæ non comparentis accuso contumaciam, ipsamque contumacem peto reputari, & in eius contumaciam sententiam diffinitiuam pro me & parte mea, & contra partem aduersam, secundum formam petitionis per me superius in libello oblatæ, in scriptis ferri, & promulgari.

¶Et si alia pars, vel eius procurator fuerit præsens, potest sic dicere. Ego N. nomine procuratorio talis, protestor de non consentiendo in sententiam diffinitiuā ferendam. Ex eo, quòd causas rationabiles ꝓposui, & allegaui in causa huiusmodi, & alias protestor de grauamine, & appellando.

¶Vel secundum exigentiam materiæ potest sic dicere Ego. N. peto ētiam sententiam diffinitiuam pro me, & parte mea, & contra partem in huiusmodi causa aduersam ferri, & promulgari.

¶Et tunc dominus iudex pronunciando ferat sententiam diffinitiuam sedendo pro tribunali, in loco & tempore consueto iudicandi, vt in c. si de re iudi. lib. vj. nō in aliquo loco inhonesto, vt coquina, stabulo, &c. Et debet eam ferre vtraque parte præsente, vel altera per cōtumaciam absente. Itē in scriptis est pronuncianda, alias nec potest habere nomen sententiæ, vt d. c. fin. de re iudi. li vj Vnde sic in scriptis pronanciatur.

¶Christi nomine inuocato, & ipsum solum præ oculis habentes, in causa quæ vertitur inter A talem ex vna parte, & N. talē ex altera super tali vinea, allegationibus & meritis causæ auditis hinc inde propositis, & examinatis, ex his quæ vidimus, & in huiusmodi causa cognouimus de consilio iuris peritorum, dicimus, decernimus, & declaramus, ipsum N. ab instātia ipsius A. absoluendum prout absoluimus, ipsi A. perpetuum silentium imponendo in huiusmodi vinea, & ipsum prædicto N. in expēsis litis condemnando, quarum taxationem nobis in posterum reseruamus, per hanc nostram sententiam diffinitiuam.

¶Et tabellio subscribit. Lata & lecta est talis sententia per talem iudicem Anno & die tali, in pręsentia partium, &c.

¶Et pars pro qua fuerit lata, vel suus procurator potest sic dicere: Ego procurator & nomine procuratorio talis, inquantum

huiusmodi

huiusmodi sententia pro parte mea, & cōtra partem aduersam facere videtur, & nō alias per vos notarium causæ huiusmodi, mihi publicum instrumentum fieri & confici peto Inquātum verò contra partem meam faceret, & pro parte aduersa, ex tūc protestor de grauamine & appellando.&c.

¶Ex aduerso alia pars contra quam sententia est lata, vel suus procurator dicere debet. Ego procurator vice & nomine procuratorio talis N dico huiusmodi sententiam (si sic dici meretur) fore iniustam & iniquam honore & reuerentia saluis,& protestor de grauamine & appellando Et tunc infra decem dies ab illo grauamine, & sententia sic lata, debet in scriptis appellare alias enim sentētia transiret in rem iudicatam. ii.q vj. biduum, Videndum est igitur de appellatione.

¶*De appellationibus.*

APPELLATIO Est prouocatio à minore iudice ad maiorem,ab iniqua sententia, vel iniquo grauamine illato, aut per iudicem comminato. Si enim iudex iniquè sententiat, vel grauat,aut comminatur contra aliquam partem, pars taliter grauata potest appellare iudicem superiorem super tali sententia, vel grauamine Ex hoc patet effectus finalis appellationis,scilicet vt iniquitas, vel imperitia iudicantium corrigatur. Nonnunquam tamen benè latas sententias superior in peius reformet.c cum speciali § porro de appel. Item vt homines oppressi releuentur.ij q vj.ad romanam.ii & per tot. illam q.

¶Et semper à minore iudice ad maiorem est appellandum ad quem spectat,& pertinet,vt per suam sententiam cōfirmet, seu approbet,vel infirmet sententiam iudicis à quo, & declaret benè,aut malè fuisse appella.

¶Et regulariter gradatim est appellādum ab ordinariis, vel eorum vicariis,vt ab episcopo ad Metropolitanum,à quo ad legatum Papæ,& à legato ad Papam,vt not in c.dilecti.iii. eo ti. Vide glo.lon in c vt debitus eo ti post med.Sed tamen omni medio omisso,potest immediatè à quolibet iudice appellari ad Papam.ij q vj.ad romanam, quia ipse est ordinarius ordinariorū non habens comparem ix q iij.cuncta. Imo etiam omisso medio potest appellari ad legatum Papæ,vt est glo.in ver. curiam.

c.romana.

c.Romana.§.j.de appe.lib.vj.& ibi doct. Item nisi proximus in gradu non esset catholicus, vt in c.quia diligētia. de elect. Item nisi recusetur vt suspectus, vt not.in c.Si is cui.de offic. deleg.lib.vj. Item nisi consuetudo disponat contrarium, vt est tex.in d.ca Romana. § j. de appel.lib.vj.de quo ibi videte doct. Item nisi omittatur exceptio contra appellationem omisso medio interiectam, secundum glo.in cap. dilecti filij prior.de appel.

¶Item appellandum est à die latæ sententiæ inclusiuè, infra decem dies, & post decem dies nō auditur appellans.ij.q.vj. anteriorum.Et appellandum est in scriptis.Et debet causa legitima exprimi, si appellatur ab interlocutoria Si autem à diffinitiua, potest incontinenti appellari verbo, dicendo Appello, etiam si non addatur à sententia iniqua & iniusta Et tandem infra decem dies in scriptis, etiam sine expressione causæ, vt not.in c.j eod.tit.lib.vj.& in l.ij.ff.de appell. Scias tamen ꝙ si à pluribus iudicibus venit appellandum, appellatio potest interponi coram maiori parte iudicum, & Apostoli peti, etiam separatim, si eorum præsentia simul haberi nō potest, vt est tex in clem.j de appel.

¶ Et appellando in scriptis petat reuerenter, instanter, instantius & instantissimè vno contextu, (vt in clem.ij.de app.) Apostolos, de quibus & forma eorum videbimus infra in practica, & est tex.ij.q.vj.§.forma Apostolorum.

¶ *De Apostolis.*

DICVNTVR Autem Apostoli in proposito literæ dimissoriales à iudice à quo, ad iudicem ad quem, testificantes de appellatione, quibus continentur allegationes appellantis, & ad easdem responsio iudicis à quo. Et dicuntur Apostoli ab *epi*, ꝙ est supra, *&* *stolon*, idest missio. Sunt enim literæ ad superiorem missæ, vt dixi.

¶ Debent autem Apostoli siue libellus appellatorius seu literæ dimissoriales regulariter continere, quis, à quo, contra quem, super quo, & ad quem, coram quibus & quare appellat Et an is à quo appellatur deferat, vel non, & an appellantem dimittat vel non. Hoc probatur, in l.vnica.ff.de libe dimis.

mis.quæ est ij.q.vj. post appellationem. & opti. in cap.j.eod. tit.lib.vj. Vide Spec in iiij.parte.tit. de appellat.§.sequitur videre de Apostolis. Ad saniorem intelligentiam præmissorum, nota quod.

¶ *Apostoli Quadruplices.*

QVIDAM Apostoli sunt conuentionales, quidam testimoniales, quidam reuerentiales, quidã dimissoriales & quidam refutatorij. de quo vide gloss. in clem.1. de appellat. & Spec. vbi supra.

¶ Conuentionales sunt, quando pars appellata admittit appellationem, siue in iudicio, iudice refutante vel tacente. siue extra iudicium.cap.sæpe.& cap oblato. & cap.secundo requiris.eod.tit.

¶ Testimoniales sunt; qui testificantur de appellatione facta coram iudice, vel facta coram publicis vel honestis personis coram quibus absente iudice potest appellari. ca. pastoralis, ad fin. de offic.ord.c.vlt. de appel. Et isti Apostoli sunt quasi idem cum conuentionalibus secundùm Spec.vbi supra.

¶ Dimissorij sunt per quos apparet quòd iudex appellationi detulit, & sic partem à sua iurisditione & potestate dimittit & causam ad iudicem ad quem remittit. ff. de libe.dimiss. l.vnica.ij.q.vj post appellationem. ca.j.eod, tit.lib.vj. Et tunc si appareat malè appellatum, non reassumit iudex delegatus à quo iurisditionē, sed per iudicem ad quem causa finitur.

¶ Reuerentiales sunt, quando ob reuerentiam superioris, iudex à quo appellationi defert. Vt si appellantem petentem Apostolos dicat iudex. Ego ob reuerentiam sedis Apostolicæ, aut talis superioris huic appellationi defero, & talem tibi terminum præfigo ad prosequendum, & hoc tibi do loco Apostolorum.

¶ Refutatorij sunt per quos apparet quòd iudex non defert appellationi, sed eam refutat ex aliqua causa licita. Vt si dicat ad appellantem. Cum ex causis friuolis & frustratorijs vel falsis appellas, non defero tuæ appellationi, cum nec iura talibus deferunt, & hoc tibi do pro Apostolis, de appel.c.vt debitus.& c.cũ appellationibus friuolis.eo.tit lib.vj.

¶ Ali-

¶ Aliquando autem dantur acta pro reuerentialibus, vt tenet decisio Rotæ, lxx. in antiq. & tunc appellans nõ aliter se debet præsentare iudici ad quem, nisi cum actis.

¶ Tempus petendorum Apostolorum.

Si Appellans non petierit infra triginta dies Apostolos, talis appellationi renunciat, vt in cap. ab eo. de appel. libr. vj. Et hi triginta dies, currunt à die latæ sententiæ. ij. q. vj. §. fin. in fi. & C de appellat. l. iudicibus, de quo glo. j. in d. ca. ab eo. & glo. 3 in clem. ij. eod. tit. de consuetudine tamen apud nos currunt hi triginta dies petendorum Apostolorum, à die interpositæ appellationis, & hanc consuetudinem approbant domini de Rota decis. 19. in nouis, & 484. in antiq.

¶ Tempus ad prosequendum appellationem.

Nota Quod qui appellat, debet appellationem suam prosequi infra annum. cap. cum sit Romana. de appellat. & j. q. vj. ei qui appellat, Nisi iusta causa eum impediat, puta infirmitas vel captiuitas. &c. quia tunc haberet inducias biennij ad prosequendam appellationem, aliâs si infra id tempus non prosequitur, rata manet sententia vel causa redit ad priorem iudicem à quo, si ante sententiam appellatum est, vt not. in d. c. cum sit.

¶ Potest etiam iudex à quo, appellanti præfigere certum terminum infra quem appellationem suam prosequi non negligat, aliâs censebitur deserta appellatio, vt in cap. personas. & c. reprehensibilis. eod. tit. vbi de hoc.

¶ Quando non est appellandum.

Sunt Certi casus in quibus non appellatur nec iuuat appellare. Versus.

Appellare vetant, scelus, excellentia, pacta,
Contemptus patris, & interdictio facta,
Arbitrium, res quæ perit, est si longius acta.

Vide ij.q.vj.in sum.& §.sunt etiã quorum, & C.quorum app.non recip.in l.ij.

¶ Primò non appellatur in crimine notorio. ca.cum sit Romana.§.præterea eod.tit. ¶ Secundò ab eccellenti iudice,id est, à principe non recognoscente superiorem. ff. à quibus appell. non licet.l.j. Et ob id à sententia fortis, seu fortunæ non appellatur,vt si esset diuisio bonorum inter aliquos per sortes,vel per breuia. Quia fortuna non recognoscit superiorem. Sed ratione enormis læsionis potest peti sententia fortis in melius reformari, de quo Philip.Franc.in rubr.de appel.lib.vj. ¶ Tertiò si partes paciscantur nõ appellandum, vt ea l.j.§.siquis. ¶ Quartò contumax in non comparendo non appellat.xxiiij.q.iij.de illicita,& d §.sunt etiam. ¶ Quintò si princeps interdixit appellare per suum rescriptum.d.l. j.§.vlt.& c.pastoralis,& cap.vt debitus, de appel.vbi ponitur not glo.de illa clausula appellatione remota. ¶ Sextò ab arbitro non appellatur,sed petitur reduci arbitrium, seu laudum ad boni viri arbitrium.C.de arbi.l.j. ¶ Septimò si res est tempore peritura,non admittitur appellatio in causa huiusmodi rei, nè in mora sit periculum. ¶ Octauò si lapsum est tempus appellandi, puta decennium, vel annus,aut ex causa biennium prosequendi,vt supra dixi,vnde si non appellatur infra decem dies sẽtẽtia quamuis iniqua transit in rem iudicatam, adeò quòd de iniquitate illius conqueri non licet.c.concertationi,de appel.lib vj.

Tertia Pars Principalis.



QVIA Illis plurimum tribuendũ est officij, quibus arctiori vinculo coniuncti sumus, docet Tullius, ideò rectè facere videntur, qui primum suis, quos genere, natione, & lingua, coniunctos habẽt,prodesse satagũt, deinde & alijs.Quos ego imitatus Polonus Tirunculis in Iure Polonis principaliter in seruire volens,practicam in regno Poloniæ vsitatam,præmissis subiungere deliberaui in hunc qui sequitur modum.

PRO-

PROCESSVS CORAM IVDICE DELEGATO.

¶ *Quomodo Iudex delegatus sit cum rescripto Impetrantis adeundus.*

IMPETRANS Rescriptum, vel eius procurator accedat iudicem delegatum hora congrua, in loco honesto. c. consuluit de offic. deleg. clem quamuis, de appel. Assitq; ei publicus notarius, vel duæ idoneæ personæ, & in eorum præsentia præsentet rescriptum apostolicum dicens: Pater Reuerende Dominus Papa vos salutat, & hoc rescriptũ in personam vestræ paternitatis impetratum cum sua benedictione vobis mittit. Vnde supplico, vt secundùm eius tenorem, seu secundùm eiusdem rescripti continentiam procedere dignemini.

¶ Iudex autem ipsum rescriptum, seu commissionem reuerenter birro deposito de capite inclinato suscipiens, si clausum est, cautè aperiat, nè bulla à literis ex toto separetur, alias enim nulla rescripto fides relinqueretur, arg ca. licet, de crim. fals. Post hoc statim ipsum legat, & totum tenorem, & bullam, & cartam, & stilum, & filum diligenter inspiciat Et si inuenerit ipsum falsum prout not. in d. ca. licet, de crim. fals. illud reijciat, nec ei fidem, adhibeat ix. dist. si ad sacras. Imò si euidens falsitas est, offerentem capiat, vt in ca. ad audientiam, de crim. fal. xix dist. in memoriam. Si verò de vitio rescripti dubitat, delegantẽ consulat, c. super literis. prope fin. & c. cum contingat, de rescrip. Si autem sine omni vitio fuerit, iudex præcipiat notario, vel pars eum requirat, vt tam de præsentatione, quàm receptione faciat publicum instrumẽtum. Vel præsentatio & receptio & totus tenor rescripti, scribatur inter acta, iuxta doctrinam. c. quoniã contra. de prob.

¶ *Forma Instrumenti super præmissis.*

NOTARIVS Ergo super præmissis sic concipere potest Instrumentum.

¶ In nomine Domini. Amen. Anno mense,die,loco talibus. &c. in mei notarij infrascripti & testiū subscriptorum præsentia, talis. P.principalis, vel eius procurator talis, in præsentia talis domini vel canonici constitutus,quasdam literas Apostolicas,vel Imperatoris, aut Regis, aut Metropolitani, vel Episcopi &c. cum vera bulla & filo pendentibus, vel cum sigillo cereo, vel ceræ albæ impresso ad cordulam de serico pendenti,& habenti in circuitu sui tales literas,infra circulum verò tale signum vel talem imaginem (& hic exprimat formam bullæ Papalis, vel sigilli Imperialis aut episcopalis)obtulit,præsentauit & dedit eidem, requirens eū solicitè, quòd in causa sibi delegata procederet iuxta ipsarum continentiam literarum. Quas quidem literas dominus cum ea qua decuit reuerentia,suscepit & perlegit. Quarum tenor, prout ego notarius vidi & legi, talis erat. Clemens Episcopus,seruus seruorum Dei &c. Vel Ioannes de Conari Episcopus Cracouien.&c.Et inserat notarius totum tenorem rescripti de verbo ad verbum. Et tandem subiungat illam clausulam. Post quarum quidem literarum oblationem &c.talis impetrator supplicauit, vt supra. Et dominus decreuit citationem contra & aduersum reum,vel alios in literis rescripti principaliter nominatos & ad alia procedi iuxta eiusdem rescripti continentiam. Actum anno,die & loco præmissis,præsentibus talibus N.& N.testibus.

¶ Et in fine Instrumenti notarius ipse se subscribat more solito sic.Ego. N. talis, tali autoritate notarius, præsentationi præscriptæ literarum & earum cum reuerentia susceptioni & alijs dum sic vt præmittitur fierent & agerentur rogatus vna cum præmemoratis testibus interfui & de mandato prædicti iudicis autoritatem præstantis, hæc scripsi & transcripsi nil addendo, vel minuendo, vel mutando, & in hanc publicam formam redegi.

¶ Sit autem cautus notarius vt & ipse diligenter rescriptū inspiciat. Nam cum eum oporteat in suo instrumento asserere se vidisse ipsum integrum,illæsum,incorruptum & saluum,si post contrarium apparebit eius instrumentum poterit meritò redargui falsitatis, nisi vitiū probetur postea subsequutum.Caueat etiam nè falsum asserat.c.inter. de fi.inst.

Nec actor vel reus falso instrumento vtantur, vt in c. ad falsariorum, de crim. falsi. Vide de præmiss. Spec. in tit. de rescrip. præsentatione per totum.

¶ Apud nos autem circa rescripti præsentationem ipsi delegato, notarius loco instrumenti, de quo supra proximè facta est mentio, scribit actum communiter à tergo commissionis, in quo actu testificatur sic. Anno, die & loco talibus, talis principalis, vel eius procurator, præsentes commissionis literas tali domino obtulit, & petiuit iuxta illarum intro continentiam procedi. Et dominus cum ea qua decuit reuerentia, susceptis huiusmodi commissionis literis, citatorium contra partem aduersam intro contentam decreuit, vt supra præsentibus. N. & N.

¶ Fiat tandem citatio sub titulo, & sigillo cõmissarij, seu delegati in quo totus tenor rescripti ipsius delegantis inseratur. Et mandetur pars citari vt compareat legitimè ad videndum, & audiẽdum fundari iurisditioné, seu iudicem se competentem pronunciari, aliâs ad dicendum, & allegandum si quas legitimas rationes habuerit cõtra huiusmodi commissionem nobis factã. &c. Forma autem huiusmodi citationis iudicis delegati supra posita est, vbi de citatione diximus.

¶ *Citatus comparens coram delegato.*

ADVENIENTE Itaq; termino citationis iudicis delegati, procurator rei corã eo pacificè, & reuerenter compareat. Et si vult sic verbo dicat. Ego procurator, & nomine procuratorio talis. A. &c. ante omnia protestor quòd in vos venerabilem virum talem. &c. tanquam in iudicem competentem, aut in vestram prætensam iurisditionem si quam habere prætenditis in hac parte, non consentio, neque consentire intendo, quouis modo, nisi inquantum de iure debeo, & astringor. Et si vos venerabilis domine &c. vtique habere prætenditis aliquam iurisditionem ex commissione, tunc ego peto nomine procuratorio quo supra huiusmodi commissionis, & iurisditionis copiam mihi fieri, & terminũ competentem ad dicendum contra statui, atque dari, aliâs ego protestor de grauamine, & appellando.

¶ Notarius sic scribat. Anno tali, die tali. &c. Honorabilis. L. procurator, de cuius procuratorio apud acta constabat, talis. A. ad hodie citati comparuit, & protestatus est de non cō sentiendo in iurisditionem domini, nisi inquantum de iure teneatur, petiuitq; sibi dari copias rescripti, aliâs commissionis, & terminum ad dicendum contra commissionem, & iurisditionem huiusmodi assignari. Et dominus iudex rescriptum originale exhibuit, ipsiusque copiam fieri decreuit, & terminum ad dicendum contra præfixit ad octauam, præsentibus. A. B. & me Notario publico.

¶ Si verò actor in huiusmodi termino absens fuerit, citra approbationem iurisditionis reus facta protestatione de comparitione sua, & de expēsis quas fecit eundo ad terminum, & de absentia actoris accuset contumaciam eius, & petat actorem sibi in expensis condemnari, & processus contra eum decerni, cùm maior sit contumacia actoris, quàm rei. c. causam quæ. de dolo, & contuma.

¶ *Terminus ad dicendum contra commissionem.*

ADVENIENTE Termino ad dicendum contra commissionem & iurisditionem delegati, siue reus compareat in termino, siue non, procurator actoris dicere potest. Reuerende Pater. Terminus per vestram paternitatem est ad hodie limitatus, vel talis est citatus ad dandas exceptiones contra commissionem, & iurisditionem vestram in causa tali contra talem. Vnde accuso eius contumaciam non comparentis, & in termino nil facientis, petoque per vos iurisditionem fundari, & se iudicem competentem causæ, & partibus pronunciari.

¶ Si verò reus præsens fuerit, vel eius procurator, potest sic dicere verbo. Reuerende Pater citra approbationem iurisditionis vestræ iuxta exigentiam termini ad hodie limitati, produco exceptiones fori declinatorias. Et easdem offerat in scriptis, & porrigat notario causæ. Quæ sic possunt concipi, & formari.

¶ *Exceptiones contra commissionem & iurisditionem.*

CORAM Vobis venerabili viro domino Tho. Ro. Canonico & officiali generali Bonon. procurator & nomine procutatorio nobilis A. de B. diocœsis Bononien. citra approbationem iurisditionis vestræ personaliter comparens protestans quòd in iurisditionem vestram, si quam fortè in præfato A. nobili habere prætenditis vigore cuiusdam prætensi rescripti Apostolici sub forma. Ea quæ de bonis. &c. pro parte. P. de C. plebani diocœ. Bonon. obtenti. non consentit nec consentire intendit, sed si qua dixerit proposuerit vel allegauerit quæ iurisditionem vestram aliquatenus approbare videantur, illa vult habere pro non dictis & allegatis, de quo solenniter protestatur. Et protestatur quòd non comparet coram vobis tanquam iudice sibi competenti, sed tanquam persona veneranda, cum vobis nulla iurisditio in prædicto A. nobili competat ex vi prædicti prætensi rescripti, prout ex causis & rationibus infra deductis in modum exceptionum clarius apparet.

1 ¶ Et primo procurator in modum exceptionum deducit quòd vos venerabilis domine, in causa præsenti iudex esse non potestis, pro & ex eo quia regulariter secundùm canonicas sanctiones actor forum sequi rei debet, vt habetur in c. cum sit, de for. compet. Et quia nobilis A. est laicus & de foro seculari, ideò non debet nec potest trahi per P. clericũ adnersam partem in causa, ad iudicem & iurisditionem spiritualem, qualem vos esse & habere prætenditis vigore cuiusdam prætensi rescripti per prædictum P. in vestram personam vt asseritur impetrati & obtenti. Vnde in præsentiam vestri præfatus nobilis A. non tenetur nec debet comparere, nec vos iudex eius competens esse potestis.

2 ¶ Item pro & ex eo iudex esse non potestis vigore præfati prætensi rescripti. Quia actor existens alterius diocœsis quàm reus, non potest de iure delegatum impetrare in sua diocœsi, vt habetur in c. statutum. §. cum autem, de rescrip. lib. vj. Cum igitur memoratus P. in hac causa pars aduersa sit diocœsis Craco. Nobilis verò A. qui trahitur diocœsis Geneznen.

Geneznen. Propter quòd ad præsentiam vestri in diocœsim Craco. de iure non potuit præfatum A. trahere. Et consequenter nec vos iudex esse potestis.

3 ¶ Item posito & non concesso quòd prædicta non obstarent, prout in rei veritate obstant, adhuc iudex esse non potestis, pro & ex eo quia prætensum rescriptum est obtentum & impetratum per non procuratorem. Et huiusmodi rescripta secundùm iuris dispositionem nullius sunt momenti, vt habetur de rescrip. c. nonnulli. §. cum autem lites, cum suis concordan. circa, glo. annotatis.

4 ¶ Item pro & ex eo iudex esse non potestis, quia cautum est in iure, quòd etiam in casibus in quibus iura permittũt aliquem trahere extra suam diocœsim, de quibus nullus habetur in præsenti causa, reus non debet trahi à fine suæ diocœsis vltra vnam dietam, vt not. de rescrip. ca. statutum. §. cum autem actor. lib. vj. cum alijs quàmpluribus iuriscon-cor. super ista materia concordantibus. Et quia prædictus P. in vim prædicti prætensi rescripti traxit dictum A. vltra vnam dietam à fine suæ diocœsis, propter quòd iudiciũ nullum, cum dictum rescriptum nullam vobis tribuat iurisditionem propter clausulam irritantem quæ ponitur in fine d. c. statutum. Quod autem prædicta sint vera, præfatus procurator offert se probaturum legitimis documentis, & ad ea probanda se petit admitti, de quo solenniter protestatur.

¶ Ex præmissis igitur, & quolibet præmissorum præfatus, procurator nomine quo supra procuratorio, salua protestatione de non approbanda iurisditione vestra domine venerande, petit per vos, & per vestram interlocutoriam sententiam, dici, pronunciari, decerni, & declarari vos ex causis supra deductis in exceptionibus, non potuisse, nec posse esse iudicem competentem in hac causa: rescriptumq; in personam vestram obtentum, fuisse, & esse nullum, vel aliàs non valere ipso iure, partemq; aduersam ob indebitum tractum in causam præfato domino. A. in expensis in causa legitimè factis condemnandum fore, & condemnari, iustitia mediante.

¶ Has exceptiones, causasq; legitimas dictus procurator, dat,

dat,facit,exhibet, & producit, omnibus melioribus modo, via,iure,stilo,& forma,quibus poteſt, & debet, petens eaſdē admitti, aliàs proteſtatur de grauamine & appellando. Saluo iure addendi, minuendi,corrigendi.&c. & alijs iuris beneficijs ſibi ſemper ſaluis. Item petit expenſas in lite factas, & proteſtatur de fiendis.

¶ Ex aduerſo actor,vel eius procurator petat copiam harum exceptionum, & terminum ad dicendum contra, ſeu replicandum aſſignari.

¶ Notarius autem ſic ſcribat, aut à tergo exceptionum, aut in actis. Anno tali, die tali,&c. S. procurator. P. plebani in G. oblata citatione legitimè executa accuſauit contumaciam rei nihil facientis in termino.Ex aduerſo L. de S. procurator nobilis. A. de B. citra approbationem iuriſditionis domini Tho. obtulit exceptiones in ſcriptis, in præſentia. S. procuratoris talis petentis copiam,& terminum ad dicendū contra præfigi. Et dominus præfixit ad primam iuris,præſentibus B. &. E. notarijs.

¶ Iubeat autem reus diligenter notari ſuam proteſtationem, quòd comparet citra approbationem iuriſditionis.

¶ Notet hic iunior duo. Primum, quòd dieta vltra alia ſignificata ſecundū Phiſicos eſt vnius diei, certa,& determinata comeſtio de hac nil ad propoſitum. Alio modo dieta dicitur ſpatium,ſeu operatio,vel curſus vnius diei. Et ſic quædam eſt dieta legalis,quæ continet xx. miliaria Italica.l. vicena. ff. ſi quis cautio. Alia eſt dieta vulgaris quæ computatur ſecundùm conſuetudinem regionis attenta locorum, & temporum qualitate, & diei quantitate, & de hac eſt hic ad propoſitum.

¶ Secundum notet. Sex eſſe caſus in quibus reus poteſt trahi extra ſuam diocœſim. Primus ſi Epiſcopus aliquem de ſua diocœſi debeat conuenire. Secundus econtra. Tertius ſi capitulum. Quartus ſi vniuerſitas alicuius ciuitatis, viliæ,vel caſtri eſt conuenienda. Quintus quando actor non audet ciuitatem, vel diocœſim rei intrare. Sextus quando actor ſui aduerſarij potentiam perhorreſcit, de quibus vide tex. in alleg. c. ſtatutum. §. Cūm verò, de reſcrip. lib. vj.

¶ *Tenor replicationum.*

CONTRA Quandam prætensam cartam loco exceptionum pro parte nobilis A. nuper in iudicium vestrũ. Venerabilis domine Iudex oblatam, procurator, & nomine procuratorio discreti domini P. de G. arguit, opponit, replicat, & replicando dicit, quòd dicta prætensa carta cum contentis in ea est friuola, impertinens, vaga, non releuans producentem, nec nocens parti contra quam producitur, & aliàs est talis quòd ipsa non obstante vos venerabilis domine potestis, & de iure debetis pronunciare se iudicem competentem, vestram iustam per interlocutoriam. Non obstantibus prædictis friuolis exceptionibus, pro parte prædicti A. nobilis productis & oblatis, prout ex causis & rationibus in replicando deductis liquidè constat.

1 ¶ Et primo descendendo ad primam prætẽsam exceptionem in qua excipiens, salua sui reuerentia, inualidè deducit quòd vos iudex de iure esse non potestis, cùm actor debet sequi forum rei, & allegat. ca. cum sit generale. de foro competen. Ad hoc replicando dicitur, quòd dictus procurator præfati nobilis A excipiendo quò ad fori declinationem & allegando. d. c. cum sit generale. principium quod videtur esse pro ipso allegat, sed quod contra ipsum est in eo. c. tacet. Nam in eo. ca. vlterius deducitur, quòd clerici suos malefactores possunt trahere ad iudices quos placuerit ipsis. Et sic excipiendo deficit, prout dictus procurator replicans, refert se ad. d. c cum sit. Et quia dictus nobilis est malefactor ecclesiæ & clericorum prout loco & tempore suis deducetur igitur. &c.

2 ¶ Item ad hoc vbi dicit quòd actor existens alterius diocœsis quàm reus non potest de iure delegatum impetrare in sua diocœsi, & allegat. c. statutum. §. cum autem. de rescrip. lib. vj. Replicando dicitur quòd præfatus dominus P. in casu excepto per iura traxit dictum nobilem A. extra ipsius diœcesim. Nam memoratus dominus P. nequit securè conuenire præfatum nobilem A. in diocœsi Genenznen. sui aduersarij potentiam meritò per horrescens, de quo ipse fidẽ facere

facere coram vobis domine iudex paratus est per proprium iuramentum quod sibi veniet de iure, vt habetur in d.c. statu. §. cum verò.

3 ¶ Item posito & non concesso quòd prædicta memorata partis aduersæ prætensam exceptionem non repellerent, prout in rei veritate repellunt & penitus annihilant. Adhuc tamen ad idem replicando dictus procurator præfati domini P. dicit quòd nominatus nobilis A. quò ad hac causam est de diocœsi & iurisditione Craco. Nam ratione delicti efficitur quis de iurisditione alterius, vt habetur in ca. fin. de foro compe. ad quod ibi adducuntur multæ concor. in glos. 1. Et quia præfatus nobilis A. maleficium in diocœsi Craco. commissit, vt tempore & loco suis & opportunis probabitur, non potest ergo sua prætensa exceptione qua se alterius asserit iudicium & iurisditionem vestram domine iudex declinare.

4 ¶ Item ad hoc vbi dicit quòd rescriptum non valet tanquam obtentum per non procuratorem, & allegat. ca. nonnulli. §. cum autem. de rescrip. Ad hoc replicando dicitur quòd ius per partem aduersam allegatum est per consuetudinem contrariam abrogatum, quæ admittit rescripta indifferenter siue per procuratores obtenta fuerint siue non, dũmodo alia non obstent, vt not. glo. in alleg c. nonnulli. Et eadem consuetudo legitimè præscripta communiter, seruatur in regno Poloniæ in practica.

5 ¶ Item ad vltimam prætensam exceptionem in qua breuiter deducitur quòd dictus A. fuisset tractus vltra vnam dietam à fine suæ diocœsis, & allegat. c. statu. in § cum autem de rescrip. lib. vj. Ad hoc replicando dicitur, quòd dictus procurator non benè nouit fines diocœsis Geneznen. & sic deducit de quibus sibi non constat, cùm tamen rei veritas est in contrarium Nam prædictus P. non vltra, sed infra vnam dietam à fine Diocœsis Geneznen. traxit ipsum A. in causam. & hoc sic deducitur, quia fines diocœsis G. eundo de Craco. sunt in campis villę S. communiter nominatę, quæ villa cum campis suis non distat per vnam dietam à ciuitate Craco. imò infra vnam dietam, prout hoc dictus procurator offert se probaturum legitimis documentis.

¶ Ex

¶ Ex præmiſſis igitur, & quolibet præmiſſorum, petit dictus procurator nomine quo ſupra procuratorio, per vos venerabilem virum dominum Tho. veſtram ſententiam per interlocutoria dici, pronunciari, decerni, & declarari replicationes, præſertim quòd dictus. A. eſt citatus infra vnã dietam, fore admittendas ad probandum, ipſiſq; probatis, non obſtantibus prætenſis friuolis exceptionibus, vos iudicem competentem declarari, & corã vobis ad vlteriora procedi, partemq; aduerſam ob indebitas dilationes præfato domino P. Plebano in expenſis condemnandum fore, & condemnari, iuſtitia mediante.

¶ Has replicationes, cauſaſq; legitimas, dictus procurator dat, facit, exhibet, & producit, omni meliori modo, via, iure, ſtilo, & forma quibus poteſt, & debet, petens eaſdem admitti, aliàs proteſtatur de grauamine, & appellando. Saluo iure addendi, minuendi, corrigendi, & alijs iuris beneficijs ſemper ſaluis.

¶ Huiuſmodi replicationibus in præſentia iudicis oblatis, & notario cauſæ porrectis, pars aduerſa ſi vult petat earum copiam, & terminum ad duplicandum aſſignari aut duplicet verbo & petat interloqui.

¶ Notarius autem ſic ſcribit à tergo replicationum. Sub anno domini &c. die tali, menſis talis. S. procurator P. de G. plebani, obtulit in ſcriptis has replicationes in præſentia L. procuratoris nobilis A. prout terminus requirebat. Ex aduerſo L. prædictus procurator duplicauit verbo petens interloqui. Et dominus ad interloquendum terminum præfixit ad vnum diem, præſentibus A. & G.

¶ *Cautela replicantis.*

CIRCA Prefatas replicationes nota, quòd replicans nõ ſolùm debet ſe referre ad allegationes, & producta excipientis, ſed etiam pro parte ſua debet videre allegationes, & deducere prout melius poterit. Et hoc idem in duplicationibus, triplicationibus & quadruplicationibus fieri debet, hoc ſeruato, vt loco huius quòd in exceptionibus dicitur, excipiendo, & in replicationibus replicando, dicatur dupli-

cando

cando, triplicando, & quadruplicando, secundùm materiæ exigentiam.

¶ Terminus ad audiendum interloqui.

NOTA Quòd si iudex non præfixit terminum interlocutoriæ ferendæ, actor qui in causam prouocat, procurat citari reum ad videndum, & audiendum interloqui super exceptionibus, & replicationibus hincinde productis, & termino adueniente petant partes, vel vna earum in contumaciam alterius absentis, vt iudex interlocutoriam ferat, quæ sic poterit pronunciari.

¶ Sedentes pro tribunali, interloquendo pronunciamus, partes, puta A. reum exceptiones, & P. actorem replicationes quò ad dietam ad probandum hincinde fore admittendas, & admittimus. Snper alijs exceptionibus, & replicationibus aliàs interlocuturi loco ac tempore opportunis inquantum partibus fuerit visum, expensas hincinde compensantes.

¶ Notarius sic scribit, Anno domini 1543. Septima Mensis Februarij. S. ipsius. P Actoris, & L. ipsius A. rei procuratoribus petentibus interloqui, prout terminus requirebat Dominus interlocutus est in scriptis, admittēdo partes hinc inde ad probandum, reum exceptiones, & actorem replicationes, quò ad dietam. Et statim post interlocutoriam prędictam, partibus hincinde præsentibus, terminum ad ponendum, & articulandum. viij. dies præfixit, & assignauit præsentibus. &c.

¶ Nota quòd non oportet ponere annum domini circa singulos actus, qui in libris actorum introducuntur, sed sufficit scribere diem & mensem. Semper enim post festum natiuitatis Christi notarij signant Annum domini, quo acta incipiunt, imò mensis & dies in actis præmittuntur. sub quibus acta in iudicio conscribi solent sine speciali temporis annotatione.

¶ *Cautela excipienti.*

NOTA Quod per præfatam interlocutoriam aliæ exceptiones præter exceptionem dietæ sunt tacitè repulsæ. Vnde procurator rei non rectè peteret terminum ad ponendū & articulandum, sed potius debet protestari de grauamine & appellando, quò ad repulsionem aliarum exceptionum, vel vnius ex ipsis quæ magis fuerit efficax, & interponere appellationem in scriptis à repulsione exceptionum infra decem dies.

¶ Sit ergo cautus procurator vt non proponat simul plures exceptiones dilatorias: quarum vna admissa, aliæ repellerentur: vt si in approbatione vnius defecerit, postea ad aliàs recurrat. Dilatoriæ enim tamdiu possunt proponi, quousque iudex prçfixerit terminum ad producendum omnes dilatorias, iuxta tenorem. c. pastoralis. de except. Quo termino sic præfixo elapso, amplius super dilatorijs non auditur.

¶ Attamen in casu præsenti delegatus potuit per interlocutoriam admittendo exceptiones de dieta, suspendere interlocutionem super alijs exceptionibus, quousque probaretur exceptio de dieta, & post eius probationem vel defectum probationis, super alijs visa opportunitate ad instantiam alicuius partis interloqui. Et sic in fine interlocutorię de qua supra post verbum admittimus, potuit addere. Super alijs autem exceptionibus pro parte rei deductis supersedentes interloqui pro hac vice, reseruamus nobis saluū ius, si necesse fuerit, interloquendi, habitis probationibus, siue contentis in præsenti interlocutoria.

¶ *Terminus ad articulandum.*

SI NON Fuit præfixus terminus ad articulandum, citetur pars ad videndum produci positiones, & articulos, & ad producendum alios pro sua parte, qui articuli vtriusq; partis possunt sic depingi. Ex parte rei sub hac forma.

¶ *Tenor*

¶ *Tenor Articulorum pro parte rei.*

POSITIONES Et articulos infrascriptos, procurator, & nomine procuratorio nobilis A de B. dioecesis Gneznen. dat, facit, exhibet, & producit, coniunctim, & diuisim, petens eisdem per partem aduersam medio suo iuramento responderi, qui si negati fuerint intendit probare, non astringens se, & suam partem ad aliquod onus superfluæ probationis, sed duntaxat ad ea probãda quæ pro intentione sua, & victoria præsentis causæ sufficere videntur, de quo solenniter protestatur.

1 ¶ In primis igitur ponit, & si negatum fuerit, probare intendit, ꝙ in Regno Poloniæ, & in dioecesi Gneznen. & præsertim in terra Siradiæ dictæ dioecesis Gneznen. fuit, & hodie est, esseq; consueuit quædam villa vulgariter nuncupata B. inhabitata per homines vtriusq; sexus à x. xx. xxx xl. citra, vel vltra annis, ac à tali tempore, & per tantum tempus cuius initij memoria hominum non existit, & eandem villã prædictus nobilis A consueuit inhabitare, & nunc inhabitat iam multis annis. Et sic fuit, & est verum, tentum, habitũ, creditum, & reputatum, & hoc tenetur, habetur, creditur, & reputatur, palam, publicè, notoriè, & manifestè.

2 ¶ Item ponit, vt supra, ꝙ prædicta villa de qua supra distat à villa C. in medio, citra vel vltra miliari Polonicali. Et eadem villa. C. directè transeundo de villa. B. Cracoui. fuit, & est in finibus, seu in limitibus dioecesis Gneznen. ita videlicet ꝙ eadem villa C. est finis diecœsis Gneznen & initium Craco. Et sic fuit, & est verum palam, publicum, notorium, & manifestum.

3 ¶ Item ponit vt supra, ꝙ prædicta villa C. vulgariter nuncupata distat à Craco. ad quam præfatus nobilis A. de G. trahitur, per xx. miliaria Polonicalia, quorum quodlibet miliare facit, & potest facere Italica tria, vel quatuor, quæ miliaria sic computata extendunt se vltra vnam dietam, & verius vltra duos dies. Et sic fuit & est verum, publicum, notorium, & manifestum.

4 ¶ Item ponit vt supra, quòd quilibet homo benè sanus

E tem-

tempore æstiuali communi cursu pro dieta absque læsione sui trnnseundo per terras regni Poloniæ contentatur in septem miliaribus, immo vix poterit septē transire. Et sic fuit, & est verum. &c.
5 ¶ Item ponit vt supra ꝙ secundùm dispositionem noui iuris reus à fine suæ diœcesis ad instantiam actoris, vigore rescripti apostolici, ad aliam diœcesim nō debet trahi vltra vnā dietam, vt not. de rescrip. c. statutum. §. nullus. lib. vj.
6 ¶ Item ponit ꝙ dictus. P. contra iuris dispositionem traxit prædictum nobilem A. ad suam diœcesim Craco. quā inhabitat de diœcesi Gneznen. quod facere non debuit. vt habetur in c. præal. statutom. §. cum autem. lib. vj.
7 ¶ Item ponit, ꝙ de omnibus præmissis publita vox est, & fama.

¶ *Tenor articulorum pro parte actoris.*

POSITIONES Et articulos infrascriptos, procurator, & nomine procuratorio discreti domini P. plebani iu Q. diœcesis Crac. dat, facit, exhibet, & producit, coniunctim & diuisim, petens eisdem per partem aduersam mdio suo iuramento responderi. Qui si negati fuerint probare intendit, non astringens se, & suam partem ad aliquod onus superfluæ probationis, sed dūtaxat ad ea probanda, quæ pro intentione sua & victoria præsentis causæ sufficere videntur. De quo solenniter protestatur,
1 ¶ In primis igitur ponit, & si negatum fuerit probare intendit, ꝙ in regno Poloniæ, & in diœcesi G præsertim in terra Siradien diœcesis Gneznen. fuit, & est eiseque consueuit quoddam opidum cōmuniter nominatum V. a. xx xxx. xl. citra, vel vltra annis, ac à tali tempore, & per tantum tempus cuius initij, & contrarij memoria hominum non existit. Et sic fuit, & est verum, tentum, habitum. &c.
2 ¶ Item ponit vt supra ꝙ prædictum opidum fuit & est in limitibus diœcesis G. cum Craco. ita ꝙ dictum opidum in suis campis eundo de prædicto opido Craco. est finis diœcesis Gneznen & initium, seu principium diœcesis Craco. & sic fuit. &c.
sic tu

3 ¶ Item

3 ¶ Item ponit vt supra ꝙ prædictum opidum V. & præsertim campi eiusdem procedentes, seu extendentes se ad orientem, seu ad partem illam, vbi est Craco. eundo de V. distat & distant infra vnam dietam à Craco. ita videlicet ꝙ vix prædictum opidum distat vij. vel viij. miliaribus à prædicta ciuitate Craco communiter nominata Cracouia. Et sic fuit, & est verum. &c.

4 ¶ Item ponit quòd de omnibus præmissis publica vox, & fama.

¶ Prædictis articulis hincinde oblatis notarius à tergo, vel in actis scribat sic. Sub anno domini. &c. die tali mensis talis L. rei, & S. actoris procuratores, hincinde positiones, & articulos producentes petiuerunt copias alter alterius, ac terminum ad dicendum contra. Vel aliàs ad faciendum ea quæ iuris fuerint, & dominus præfixit terminũ ad octauã diem, præsentibus &c.

¶ Adueniente autem tali termino prædicti procuratores offerant in scriptis exceptiones alter contra alterius positiones & articulos. Vel verbo excipiant, & notarius sic scribit. Anno domini. &c. die tali. &c. prædicti L. Andreæ. & S. P. procuratores hincinde generaliter verbo exceperunt alter contra alterius positiones, & articulos, dicentes ipsos de iure inadmissibiles, & aliàs non procedentes de exceptionibus, seu ex tenore exceptionum, quos hincinde articulauerunt, petentes hincinde interloqui, & dominus ad primam diem præfixit terminum ad interloquendum.

¶ Quo termino adueniente prædicti procuratores comparentes petant ferri interlocutoriã, quæ sic potest formari.

¶ *Interlocutoria.*

NOBILIS A de. B. ex vna, & honorabilis P. de C partibus ex altera, in causa tali coram nobis vertente, & mota, interloquendo pronunciamus hincinde articulos * tam pro parte A. de B. quàm P. de G. coram nobis oblatos, fore admittendos, & admittimus: terminum ad respondendũ hinc inde eisdem, assignantes ad octauam.

¶ Notarius scribit. Sub anno domini. & c. die tali &c prædictis

dictis L.A. & S P. procuratoribus competentibus & petentibus interloqui super exceptionibus ipsorum verbalibus, de quibus supra dominus interlocutus est in scriptis, admittendo hincinde articulos, & terminum ad respondendũ eisdem præfixit, & assignauit ad octauã diem, præsentib. A b.

¶ *Tenor responsionum ad articulos.*

RESPONSIONES Infrascriptas S procurator P. de G. ad positiones & articulos A de B. dat, facit, exhibet, & producit, prout sequitur. Et primò respondendo ad primam, & secũdã positiones, ipsas credit esse veras. Item ad tertiam & quartam non credit. Ad quintam credit. Item ad sextam dubitat. Item ad vltimam de fama quò ad positiones creditas per ipsum credit, sed quò ad alia non credit.

Et sub simili forma respondere possit alia pars ad articulos aduersæ partis. Item etiam sic consueuit responderi. Ad positiones & articulos pro parte talis oblatos procurator talis respondet sub hac forma. Ad primam & secundam credendo credit &c.

¶Modum autem qni in alijs seruatur partibus vbi sic respondetur. Ad primum & secundum articulos procurator talis respondet per verbum credit. Ad alios autem sequẽtes respondet per verbũ non credit, nec approbo, nec reprobo.

¶ Notarius acceptis responsionibus scribit. Sub anno domini. &c. die tali mensis talis L. An. & S. ipsius P. procuratores hincinde responderunt in scriptis ad articulos. Et procuratoribus approbantibus hincinde responsiones, dominus ad probandum articulos hincinde negatos præfixit terminum ad octauam diem, præsentibus. &c.

¶ Nota quòd oblatis responsionibus procuratores possunt petere copias, & terminum ad dicendum contra, & si visum fuerit ipsisque insufficienter est responsum, possunt excipere & contra exceptiones replicare, & si sic fuerit iudex debet interloqui repellendo responsiones tanquàm insufficientes, vel admittendo tanquàm sufficientes.

¶Terminus.

¶ *Terminus in quo comparent testes citati ad probandum articulos negatos.*

IN QVO Quidem termino ipse inducens, vel procurator eius dicere sic potest. Reuerende pater hic testes tales sunt legitime citati, super quo offero citationem debitè exequutam. Vnde peto eos ad iurandum admitti, & iuratos super negotio examinari.

¶ Notarius sic scribere potest. Sub anno domini. &c. die tali mensis talis per S. ipsius P. & L. ipsius A. procuratores oblatis citationibus legitimè exequutis iuxta consuetudinē patriæ A.G.C.D. testes, prout terminus requirebat pro prima dilatione, alijs dilationibus renunciantes, sunt inducti. Et dominus receptis iuramentis prædictis testibus commisit mihi N. notario examen ipsorum procuratoribus hincinde facientibus protestation. de excipiendo contra testes, & dicta ipsorum, & ꝙ non examinentur, nisi secundùm interrogatoria per ipsos danda, quæ incontinenti obtulerunt, præsentibus A.B. & C.

¶ *Dilationes ad producendos testes.*

NOTA ꝙ testes in qualibet causa possunt produci pro tribus dilationibus & productionibus, hoc est in tribus terminis successiuè ꝓducūtur. Quarta verò dilatio de iure non datur, nisi cū solēnitate legali, ita videlicet ꝙ is qui petit dilationē quartā iurat, ꝙ nec ꝑ se, nec ꝑ aliū didicerit testificata, & ꝙ non ꝑ dolū aut artē aliquā quartam ꝓductionē exposcat, sed quia testes quos desiderat de nouo ꝓducere prius habere nequiuit, vide c. pe. de testi. & ibidem nota.

¶ *Tenor Interrogatoriorum.*

INTERROGATORIA Infrascripta procurator, & nomine procuratorio discreti domini P. plebani in Q. diœcesis Craco. dat, facit, exhibet, & ꝓducit se-

cundùm quæ & quodlibet ipsorum petit testes partis aduersæ examinari: Qui si secundùm ipsa & quodlinet ipsorum non fuerint examinati vult habere pro non examinatis, de quo solenniter protestatur.

¶ Et primò cuilibet testi seorsum reducatur iuramentum ad memoriam per ipsum præstitum de veritate dicenda pro vtraque parte, quam scit, & super qua requisitus fuerit.

¶ Item exponatur sibi quomodo quilibet testis falsidicus tribus personis est obnoxius.c j de cri fal. Primò Deo cuius præsentiam contemnit. Secundò iudici quem mentiendo fallit. Tertiò innocenti seu proximo, quem falso testimonio lædit, & quòd non absoluetur,nisi præstita satisfactione sufficienti cum graui pœnitentia.

¶ Item inquiratur à quolibet teste cuius ætatis sit, & quātum habeat in bonis, & cuius conditionis sit: vtrum nobilis an plebeus, & si sit subditus producentis. Item vtrum sit consanguineus vel amicus producentis vel inimicus contra quem producitur, & cui fauet, seu optat victoriam in præsenti causa. Item si scit Pater noster Aue Maria. Credo,& si de anno præsenti communicauit. Item si est excommunicatus.Item si condictauit cum suis contestibus de vnanimi testimonio proferendo.

¶ Item si est instructus per producentem vel amicum ipsius quomodo debeat testificari. Item requiratur vtrum sibi datum, aut promissum est aliquid per producentem vel amicum eius, vt daret testimonium pro ipso. Vel si sperat se aliquid exinde habiturum.

¶ Item inquiratur vtrum scit villam quæ dicitur esse in finibus diœcesis Gnez. cum Craco. Et si dixerit quòd scit, inquiratur diligenter de causis scientiæ.

¶ His generalibus breuiter præmissis veniendo ad positiones & articulos, omissis primo & secundo articulis tanquam per aduersarium confessis & admissis. Si testis dixerit aliquis ex articulis per aduersam partem negatis, puta. iij iiij &c. esse verum, inquiratur diligenter de causis scientiæ,& vnde & quomodo scit esse verum, & singula fideliter conscribantur.

¶ In fine autem interrogatoriorum consueuit poni per procuratores per modum subscriptionis. Cætera committuntur vestræ discretioni domine Notarie. Notarius enim cui committitur examen testium, vel ipse iudex, debet diligenter examinando prudenter inquirere de singulis circunstantijs, puta loco, tempore, auditu, visu, scientia, credulitate, fama, & certitudine inquirere. Et cuncta fideliter con scribat quicquid testis dixerit, vt in c. cum causa. de testi. Et præsertim de causis scientiæ, vt no. iiij. q. iij. §. solā. & xxiiij. q. iij. si habes. Et diximus aliqua supra in ij. parte vbi tractauimus de numero & iuramento testium.

¶ Item nota ꝙ quemadmodum procurator actoris dedit, vel dare debet interrogatoria secundùm quæ testes per reū inducti, sunt examinandi, ita etiam procurator rei dabit alia interrogatoria secundùm quæ testes per aduersam partem inducti debent examinari. Quia quod licet actori, licet & reo, regula Non licet, de reg. iu. lib. vj. Nam ad imparia non iudicantur. c. gaudemus, de diuor.

¶ *Examen testium super præmissis articulis.*

NOTARIVS Itaque habitis interrogatorijs, testes examinando sic scribit. Sub anno domini. &c. die tali mensis talis, testes infrascripti de M. & B. de C. pro parte nobilis A. de B. inducti per me. N. notarium causæ de mandato domini talis, sunt examinati.

¶ Primus testis nobilis. M. de G. citatus, iuratus, ætatis xl. annorum, habens in bonis vltra centum marcas, nullius partis consanguineus, nec amicus, fauens parti quæ habuerit iustitiam, nihil pro testimonio ferendo receperit nec sperat se recepturum, sed causa Dei, & iustitiæ deponit, scit Pater noster, Aue Maria, Credo, communicauit de anno præsenti ad festum Paschæ, non est excommunicatus. Et reducto sibi ad memoriam iuramento per ipsum præstito de veritate dicenda pro vtraque parte in causa præsenti, & exposito quomodo falsidicus testis. &c. Omissis primo & secundo articulis, tanquam per procuratorem partis aduersæ confessis, creditis, & admissis.

¶ Ad tertium articulum qui incipit. Item ponit vt supra, quòd prædicta villa vulgariter nuncupata. C &c. sibi vulgariter expositum, interrogatus dixit præfatam villam. C. solũ vij. miliaribus distare à Cracouia, & causam scientiæ subiũxit, quia illàc frequenter equitabat. Et hunc esse communem computum asserebat. De alijs autem contentis in articulo, videlicet, quòd vnum miliare Polonicum equiualeat tribus, vel quatuor Italicis, dixit sibi non constare, ex eo ꝙ nunquam fuit in Italia.

¶ Item ad quartum articulum qui sic incipit. Item ponit vt supra, quòd quilibet homo. &c. sibi vulgariter expositum interrogatus dixit ipsum esse verum quò ad aliquos homines, maximè cursores, ꝙ absque lęsione possunt transire vno die septem miliaria Polonicalia. Dixit quidem se vix posse transire ad vnum diem septem miliaria, de alijs audiuit ꝙ non solum septem, sed & octo & plus peragrare vno die possunt. Et dixit se nosse vnum in eadem villa. C. qui vno die viij miliaria sine læsione peragrabat & plus, & credit eum posse & decem transire.

¶ Ad quintum autem qui incipit. Item ponit ꝙ secundùm &c. & sextum qui incipit. Item ponit ꝙ prædictus &c. sibi vulgariter & planè expositos interrogatus dixit se non nosse iura, & sic sibi de contentis in præfatis articulis non constare, subiungens quòd de talibus iurisperiti inquirendi essent.

¶ Item ad vltimum de fama sibi vulgarizatum & expositum, respondit famam fuisse & esse de his quæ desposuit.

¶ Secundus testis. B de C. citatus. &c. prout circa primũ visum est. Et supponatur ꝙ deponeret sicut & primus.

¶ Nota ꝙ notarius examinando secũdum testem & alios sequentes debet omnia diligenter conscribere de verbo ad verbum quicquid testes dixerint, & non satis est ꝙ scribat secundus testis deposuit præcisè vt primus, quia huiusmodi examen est inualidum, & nullius momenti.

¶ Item nota ꝙ si testis dixerit sibi de contentis in aliquo articulorum non constare, vel dixerit se nescire, non debet inquiri amplius super tali articulo ne reddatur periurus.

¶ *Examen testium alterius partis.*

In nomine Domini. Amen. Sub anno domini. &c. die tali. &c. testes infrascripti I. de H. & I. de M. pro parte discreti P. de G. plebani in Q. citati, iurati, per me. N. vt supra.

¶ Primus testis nobilis I. de H. citatus, iuratus, & secundùm interrogatoria examinatus, reducto sibi iuramento ad memoriam per ipsum præstito de veritate dicenda pro vtraque parte, & exposito quomodo falsidicus testis tribus personis est obnoxius, ætatis. xl. annorum, habens in bonis, prout ipse æstimat vltra trecentas marcas. Nullius partis cõsanguineus, amicus vtriusque, fauens parti habenti iustitiã. Nihil est sibi datum aut promissum pro testimonio ferendo, nec sperat se aliquid habiturum. Scit Pater noster, Aue Maria, Credo, confessus in anno præsenti, & communicauit ante festum Paschæ. Non condictauit cum contestibus de vnanimi testimonio, nec est informatus qualiter debeat testificari, Omisso primo articulo tanquam per procuratorem nobilis A. confesso, & admisso.

¶ Super secundo articulo qui sic incipit. Itẽ ponit ꝙ prædictũ oppidũ. &c. sibi vulgarizato, & exposito, interrogatus, dixit articulum per oĩa esse verum, causam scientiæ reddẽs, quia vicinus est eiusdẽ oppidi, & sæpius ipsum solet visitare. Et fines, seu limites diœcesis Gneznen. cum Craco. scit bene.

¶ Et prout in articulo describit de limitibus, & finibus, ita dixit esse verum & non aliter, subiungens causam sciẽtię, quia ista est communis fama, nec ipse aliter credit.

¶ Super tertio articulo de dieta sibi vulgarizato. & c. interrogatus dixit ipsum esse verum, prout sibi apparet, quia prædictum oppidum distat à Craco. per viij. miliaria vel modico plus, causam scientiæ reddens, quia sæpius equitabat de C. Craco. & ita etiam audiuit communiter fari à præposito & canonicis Craco. ac etiam vicarijs, & communiter ab omnibus.

¶ Item super articulo de fama dixit esse publicam famam & vocem super depositis per ipsum.

¶ Nota quòd etsi mos nostræ patriæ sit, vt notarius solus in secreto testes seorsum examinet, tamen si esset ardua causa potest adhibere circa huiusmodi examen aliquos honestos & idoneos viros vel alios notarios, vt si postea testis deponens aliquid variare contra suas despositiones ausus fuerit, facilè conuinci possit de falso. Ista est doctrina Abb. in c. quoniam contra. de probat. post glo. iij. per tex. c. vt officiũ, de hæret. lib. vj.

¶ *Publicatio testium.*

Cvm Renunciatum sit alijs dilationibus, restat testium publicatio, vbi vna pars procurat citari aliam ad videndum & audiendum publicari attestationes. Et notarius sic scribit.

¶ Die Mercurij sexta mensis Februarij L. procurator nobilis A. citato S. procuratore P. plebani in Q. per Io. Vicarium ab omnibus sanctis pro executore per dominum Tho. sibi deputatum petijt sibi publicari dicta testium in causa, renunciando vlteriori dilationi, & hincinde procuratoribus renunciantibus vlteriori productioni testium super eisdem articulis, dominus publicauit, & copias attestationum partibus fieri decreuit, terminumq; ad dicendum contra, seu ad excipiendum. xiiij. dies præfixit, præsentibus. &c.

¶ Huiusmodi autem termino adueniente, vel si non est præfixus vna partium aliam citari procurante, exceptiones in scriptis offerantur, vel verbo excipiatur. Et notarius scribit.

¶ Die tali mensis, &c. L. nobilis A. & S. ipsius P. plebani procuratores exceperunt generaliter verbo vnus contra alterius attestatioues seu dicta testium, dicentes testes esse singulares in suis testimonijs, & aliàs contrarios sibiipsis & alijs testibus aduersos, & aliàs tales quòd ipsis fides non est adhibenda, petentes hincinde interloqui, & dominus præfixit terminum ad interloquendum ad octauam, præsentibus, &c.

¶ *Interlocutoria.*

SEDENTES Pro tribunali interloquendo dicimus, decernimus, pronunciamus, & declaramus, replicationes pro parte discreti.P.de. G. plebani in.Q.quòd infra vnam dietã à fine dioe.C. nobilem.A. de.B. vigore rescripti apostolici ad præsentiam nostri traxit in causam, fuisse sufficienter probatas. Et ob hoc non obstantibus friuolis exceptionibus pro parte nobilis.A.de.B. nos iudicem competentem, & coram nobis in causa ad vlteriora procedi, rationeq; indebitæ protractionis causæ prædictũ nobilem condemnamus ipsi. P.in expensis, quarum nobis taxationẽ in posterum reseruamus.

¶ Notarius verò scribit. Die Veneris, &c.L.nobilis.A.de B.& S.ipsius P.plebani in Q. procuratoribus petẽtibus hinc inde interloqui prout terminus requirebat, dominus interlocutus est in scriptis, pronũciando replicationes fuisse probatas. Et repulsis exceptionibus nobilis A. pronunciauit se iudicem competentem. Et incontinenti L. nobilis A. de B. procurator protestatus est de grauamine, & appellando, præsentibus &c.

¶ *Appellatio.*

CORAM Vobis venerabili viro Th.&c. ego L.de N.procurator nobilis A de B.diœcesis Gneznen. animo & intentione appellandi propono, allego, atq; dico, quòd quamuis coram vobis iudicialiter exceptiones de iure admissibiles produxerim & obtulerim in quibus deduxi quomodo vos de iure iudex esse non potuistis, nec potestis vigore rescripti apostolici in personam vestri impetrati per P. plebanum in Q diœcesis Craco.aduersarium in hac causa, pro, & ex eo, quia prædictus plebanus præfatum nobilem A. vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis ad præsentiam vestri traxit in causam, prædictasque exceptiones sufficienter per testes idoneos probauerim, vos tamen prædictis, vestra reuerentia semper salua, non attentis, in fauorem, prout præsumitur, aduersæ partis, contra iuris dispositionem prædictas meas exce-

exceptiones repulistis,& reiecistis vestram per interlocutoriam talem qualem,si dici meretur, quàm in scriptis tulistis pronunciando vos iudicem competentem,& mandantes coram vobis sub pęnis excõmunicationis ad vlteriora in causa procedi,præfatum nobilem. A.in expensis condẽnando. Vnde ex præmissis, & quolibet præmissorum sentiens præfatũ nobilem. A.de.B\& me fore grauatum,à prædictis omnibus, videlicet,repulsione exceptionum, condemnatione expensarum,& interlocutoria vestra,contentisque in ea, ac à sententijs excommunicationis per vos comminatis, fulminatis vel fulminandis, ad Sanctiss. in Christo patrem do. Paulum diuina prouidentia Papam III. & Sacrosanctam Rom. Ecclesiam,Sedemq; Apostolicam in his scriptis prouoco & appello,& apostolos primò instanter, secundò instantius, tertiò instantissimè à vobis domine Tho. vel si est qui mihi eos dare velit & possit & mihi super eadem appellatione responderi, vel saltem à te notario publico literas testimoniales, aut instrumenta publica in fidem & testimonium omnium præmissorum mihi dari peto, subijciens præfatum nobilem & me procuratorem ipsius cum omnibus mihi adhærentibus,& adhærere volentibus tuitioni, & protectioni sedis an tedictæ. Saluo iure addendi, minuendi, corrigendi,alijsque iuris beneficijs remedijsq; semper saluis.

¶ Notarius scribit à tergo appellationis,vel in actis.Anno domini.&c. L.nobilis.A de B.procurator,Domino Tho.&c. pro tribunali sedente interposuit appellationem in scriptis ab interlocutoria pro parte discreti domini. P. & contra ipsum lata.Et lecta appellatione,factaq; insinuatione eiusdem appellationis.S.procuratori, P. plebani, petijt sibi apostolos dari, & dominus infra terminum iuris, vel aliâs in termino promisit se daturum,vel aliâs super ipsis responsurum.

¶ *Doctrina appellanti.*

NOTA Quòd cum quis duxit appellandum, debet appellare in scriptis infra decem dies à grauamine illato, vt superius diximus. Si tamen alicui terminus artatur & præcipitur sub pœna excommunicationis, vt infra certum tem-

pus

pus (puta tres dies) aliquid faciat (puta vt cedat de possessione decimæ, vel alterius rei) appellare volens ante tempus sibi præfixum in scriptis ex causis sibi ad hoc deseruientibus appellet, nec expectet decendium ne incidat in excommunicationem. c. præterea. ij. de appel. Appellatio enim excommunicatum non releuat ita vt suspendat excommunicationem. Nam sententia excommunicationis trahit post se executionem. c. pastoralis. ante fin de appel.

¶ Custodiat autem diligenter ipse appellans, vt appellatione interposita petat infra xxx dies apostolos instãter, instantius, instantissime in pręsentia notarij & testium. Et facta per iudicem responsione super appellatione, notarius scribit.

¶ Anno domini &c. die tali mensis talis. L. procurator nobilis A. personaliter comparens corãm Domino Tho. exposuit coram eodem quomodo iam pluries accessit ipsum cum debita instantia super Apostolis sibi dandis. Et facta expositione petijt vltimatè sibi dari Apostolos vel aliàs responderi super ipsis. Et dominus refutando appellationem suam ad petitionem. S. procuratoris aduersæ partis taxatis expensis litis ad vnam marcam decreuit processus censurarum pro apostolis contra prædictum nobilem A. prædicto L. protestante de grauamine, & quomodo velit cum appellatione sua stare, & eam prosequi, præsentibus. &c.

¶ Nota ꝙ appellans seu procurator appellantis metu censurarum potest à sua appellatione non recedendo citare aduersarium ad videndum satisfieri sibi pro expensis condemnatis, citra tamẽ approbationem iurisditionis iudicis à quo appellauit.

¶ Et notarius scribere posset. Die Veneris penultima mẽsis. &c. L. procurator nobilis A. oblata citatione qua citauit fieri pro expensis, comparendo citra approbationem iurisditionis domini, facto satis pro expensis, protestatus est, quòd per hunc actum & alios si quos faciet, non intendit approbare iurisditionem domini, nec recedere à sua appellatione, sed quæcunque fecit, aut faciet, illa metu censurarum excommunicationis facit. præsentibus. &c.

¶ Appellans

¶ *Appellans excipit.*

NOTA Quòd appellatione refutata, iudex non obstante protestatione de qua supra potest mandare appellanti corã se procedi ad vlteriora. Appellans autem protestatione facta quòd non vult recedere ab appellatione per eum interposita,& citra approbationem iurisditionis,posset adhuc aliquas exceptiones dilatorias opponere contra iurisditionem delegati, vt hic.

¶ *Exceptiones.*

CITRA Approbationem iurisditionis vestræ domine venerande, procurator nobilis A.de B. diœcesis Gneznen.personaliter comparens protestatur, q in iurisditionem vestram(siquam forte in præfato nobili A habere prætenditis vigore cuiusdam prætensi rescripti apostolici per P. plebanum in Q. in personam vestram obtenti)non cõsentit nec consentire intendit, sed si qua dixerit proposuerit vel allegauerit quæ iurisditionem vestram approbare aliquatenus videantur,illa vult habere pro non dictis, & allegatis, de quo solenniter protestatur, cùm vos nullo modo iudex præfati nobilis A esse potestis ex causis violentarum suspitionum, prout ex infra deductis in modum articulorum clarissimè constabit,atque constat

1 ¶ In primis siquidem ponit,asserit, & dicit, & si negatum fuerit probare intendit quod præfatus P.plebanus in Q diœcesis Craco. fuit & est vester domine Thom.&c. filiaster seu nepos ex fratre,progenitus ex strennuo milite.C.camerario Sandomiriensis fratre vestræ paternitatis reuerendæ.Quem etiam P.tanquam consanguineum speciali affectione & caritate prosequimini. Et de isto habetur apud homines graues & leues, status & sexus vtriusq; fama communis, assertio & opinio Et sic fuit.&c.

2 ¶ Item ponit,asserit & dicit, & si &c. quòd communis opinio, assertio & fama habetur quod prædictus. P plebanus in Q. antequam rescriptum in personam vestram obtinuit, habuit

habuit à vobis consilia super impetratione rescripti & meritis causæ. Et sic per vos informatus prædictum rescriptum in personam vestram impetrauit. Et vt præsumitur à vobis (vestra reuerentia semper salua & absque aliqua iniuria loquendo) informationes hucusque in eadem causa recipit & recepit. &c.

3 ¶ Item ponit vt supra, qnod communis opinio hominū, assertio & credulitas & vera reputatio, communeq; dictum ac publica vox & fama fuit & est, quod vos venerabilis domine Tho. ex singulari affectione caritatis qua prosequimini ipsum plebanum de Q. communicatis sibi secreta consiliorum vestrorum, & pro secretario vestro eundem P. plebanum tenetis & habetis &c.

4 ¶ Item ponit quod de omnibus præmissis, fuit & est publica vox & fama, quod prædictus procurator asserit se probaturum legitimis documentis.

¶Ex præmissis igirur & quolibet præmissorum, salua protestatione de non approbanda iurisditione vestra, petit procurator prædictas exceptiones suas articulatim deductas secundùm iuris dispositionem coram arbitris eligendis ad probandum admittendas fore & admitti,& prædictum P. de G. præfato nobili A. de B. in expensis ob indebitum tractum in causam condemnandum fore & condemnari debere:ab impetitioneq; sua nobilem A. absoluendum & absolui, iustitia mediante. ¶ Has exceptiones.&c. vt supra.

¶ Notàrius acceptis exceptionibus scribit. Anno. &c. die tali mensis.L.procurator nobilis A.facta protestatione de nō approbanda iurisditione domini, obtulit exceptiones contra iurisditionem in personam domini, deducens ipsum sibi & parti suæ suspectum,ex aduerso S.procuratore P. petente copiam & terminum ad dicendum contra aliâs ad replicandum. Et dominus ad octauam diem præfixit.Et in eodem termino dicto L. procuratori omnes alias dilatorias exceptiones peremptoriè mandauit proponere,aliâs nollet ipsum audire super dilatorijs.

¶ *Quis cognoscit de causa suspicionis.*

NOTA Quòd iudex recusans ex causa súspicionis, non assignat

assignat terminum ad probandum causas suspicionis coram se, sed coram arbitris à partibus electis, vt est tex. in c secundo requiris. de appel. & not. in ca. suspicionis. de offic. deleg. Et si arbitri recusarent recipere in se onus arbitrij & conuenire in vnum, iudex poterit eos compellere per censuram ecclesiasticam & terminum præfigere infra quem conueniant, vt in c. legitima suspicionis. §. volentes. de appel. lib. vj. Et quod plus est iudex suspectus à quolibet etiam excommunicato poterit recusari. Quia periculosum est coram suspecto iudice litigare, vt in c. cum inter priorem. de except. cum concordant.

¶ *Replicationes.*

CORAM Vobis venerabili viro domino Tho. canonico. & Offic. Craco. iudice causæ præsentis per sedem apostolicã deputato, procurator & nomine procuratorio, discreti P. plebani in Q. contra quandam prætensam cartam loco exceptionum pro parte nobilis A. de B Gneznen. diœcesis, nuper in iudicium vestrum causa diffugij & iustitiæ supprimẽdæ, malitiosè oblatam, arguit, opponit replicat & replicando dicit quod prædicta prætensa & friuola carta, est inepta, impertinens, vaga, obscura, concepta contra stilum & modũ prouinciæ Gneznen. prout verius inspicienti liquidè apparet, & aliâs est de iure inadmissibilis, non nocens parti contra quam, nec releuans partem pro qua producitur, prout ex causis & rationibus in vim replicationum deductis manifestè constat.

¶Et primò descendendo ad primam & secundam exceptiones, quasi imò potius fictè deductas, in quibus breuiter tangit excipiens quod obstante consanguinitate, & ex eo quod dictus dominus P. habuisset consilia à vobis pro rescripto impetrando in personam vestram & communicaretis sibi consiliorum vestrorum secreta ex affectione quam ad ipsum haberetis, iudex esse non potestis. Ad hoc replicando dicitur quod dictus excipiens non est audiendus nec exceptiones suæ sunt admittendæ de iure, cum non specificat in dictis suis prætensis exceptionibus gradum & lineam con-

ſanguinitatis videlicet in quo gradu, primò, vel ſecundò &c. vobis attineat, ſeu cõſanguinitate ſit iunctus c. licet ex quadam. de teſti. & ca. tua de conſanguin. & affini.

¶ Ad hoc autem vbi excipiendo allegat communicationẽ ſecretorum, & ꝙ de conſilio veſtro ſit impetratum in ꝑſonã veſtram, replicando dicitur, ꝙ dictus excipiens, malitia ſibi innata (loquendo abſque omni iniuria) excogitauit dictas exceptiones longè à veritate, ſicut cœlum à terra, diſtantes. Et abſurdum eſt ꝙ vir tantæ reputationis audet talia excogitare, quæ non tantùm diſſonant veritati, ſed etiam piarum aurium ſunt offenſiua. Et ſic non eſt audiendus, nec exceptiones admittendę tanquam cauſa diffugij & protractionis cauſæ excogitatæ.

¶ Ex p̃miſſis igitur & quolibet p̃miſſorũ petit dictis ꝓcurator nomine quo ſupra ꝓcuratorio ꝑ vos venerabilem virum dominum. Tho. ꝓnũciari, decerni, & declarari, (nõ obſtantibus p̃dictis p̃tenſis & friuolis exceptionibus de iure inadmiſſibilibus) vos iudicem competẽtem, ꝓut aliàs feciſtis, prædictumque nobilem A. p̃fato domino P. in expenſis litis cõdemnandum fore & condemnari, veſtra interlocutoria iuſta mediante. Has igitur &c.

¶ *Terminus ad proponendum omnes dilatorias.*

TERMINO Itaque proponendi omnes dilatorias exceptiones ipſi L. & replicandi ipſi S. ꝓcuratoribus, adueniente, illis comparentibus & factis fiendis, notarius ſcribet ſecundùm exigentiam materiæ, vt ſic.

¶ Die Veneris vigeſima menſis Februarij L. ꝓcurator nobilis A. de B. diœceſis Gneznen. iuxta exigentiam termini perſonaliter comparens, renunciauit omnibus alijs exceptionibus dilatorijs, ſaluis exceptionibus vltimò ꝓductis per ipſum ſuper recuſatione domini ex cauſis ſuſpitionis. Et ſtatim eodem iudicio durante S. ꝓcurator P. plebani in Q. obtulit replicationes in ſcriptis pro parte domini P. ex aduerſo L. p̃dicto ꝓcuratore nobilis A. duplicante generaliter verbo & petente interloqui; & dominus præfixit terminum ad interloquendum. Præſentibus. &c.

¶ *Alia forma replicationum.*

¶ NOTA Quod hic replicans, in replicando impertinenter ꝓcessit. Debuit enim aliter replicare in forma meliori. Sed quia intellexit quod replicando ꝑtinenter, admisisset implicitè exceptiones aduersarij ad ꝓbandum, quare consultò sic fecit, plus aures iudicis demulcendo quàm rem ipsam prosequendo. Forma verò & stilus rectior, potuit esse talis. Præmisso principio. Coram vobis. &c. tandem subiungeretur.

1 ¶ Primò descendendo ad primam prætensam exceptionem articulatim deductam, quæ sic incipit. In primis siquidem ponit. &c. in qua breuiter deducit excipiens, quòd obstante consanguinitate (ex eo quod. Idem P. plebanus in Q. sit vobis filiaster aliàs nepos ex fratre & affectione speciali, ac charitate astrictus) iudex esse non possetis. Ad hoc replicando dicitur, quòd dictus excipiens quò ad hoc non est audiendus, ex quo gradus consanguinitatis, non specificat, videlicet in quo gradu consanguinitatis an primò, vel secundò. &c. vobis præfatus P. plebanus attineat. Et posito, & non concesso, quòd ista hic adducta non obstarent, adhuc dictus replicans in replicando non credit, deducta in exceptione esse vera, nisi probarentur legitimis documentis.

2 ¶ Item ad secundam prætensam exceptionem, quæ incipit. Item ponit quòd communis opinio &c. in qua breuiter deducitur quòd dictus P. de cōsilio vestro, per vos informatus prædictum rescriptum impetrasset in personam vestram, replicando dicitur, quod dicto excipienti non est credendum, nisi probauerit legitimis documentis, cùm falsè & causa diffugij excipiat.

3 ¶ Item ad tertiam quæ similiter incipit. Item ponit quòd communis opinio. &c in qua breuiter deducit excipiens, quòd dicto domino P. secreta consiliorum vestrorum communicaretis, & ipsum pro secretario habueritis, replicando dicitur, quòd dictus excipiens in excipiendo imaginabatur chimerea statuas, & alià sibi non est fides

des adhibenda, nec est sibi credendum, nisi probauerit legitimis documentis. Ex præmissis igitur. &c.

¶ *Terminus ad interloquendum.*

NOTA quòd delegatus adueniente termino ad interloquendum ex replicationibus occasione capta, quæ sibi mulcent aures, licèt sint inefficaces, & solum euasiuæ, posset de facto in fauorem partis repellere exceptiones, sed iniuriam faceret excipienti, & appellatis à repulsione exceptionum haberet locum. Si tamen voluerit iustitiam facere, tunc admittendo exceptiones, mandabit eas probare coram arbitris, & præeiperet partibus, vt eligant arbitros. Et ipsis discordantibus, poterit ex officio arbitros solus dare, & assignare, non tamen alicui partium suspectos. Si itaque exceptiones repulsæ fuerint, notarius scribere posset sic.

¶ Die Veneris L. ipsius A. de B. & S. ipsius P. de G. procuratoribus in præsentia domini Thom. &c. comparentibus, & petentibus interloqui, prout terminus requirebat, dominus interloquendo verbo repulit exceptiones pro parte nobilis A. oblatas. Et incontinenti L. procurator dicti nobilis A. protestatus est de grauamine, & appellando. Præsentibus. &c. Vnde sequitur.

¶ *Appellatio.*

CORAM Vobis venerabilibus etiam discretis viris dominis hic præsentibus, & astantibus, ac D. publico notario, tanquàm persona autentica, & fideli, ego L. de N. procurator, & nomine procuratorio nobilis A. de B. diœcesis Gneznen. animo, & intẽtione appellandi, propono, allego atque dico, quòd. Quanuis in causa quam discretus dominus P. de G plebanus in Q vigore rescripti Apostolici præfato nobili A. intentauit, coram venerabili domino Thom. Rom. offic. Cracoui. citra approbationem iurisditionis ipsius domini T. comparẽdo exceptiones

F 2 de iure

de iure admissibiles iudicialiter produxerim, in quibus inter cætera fuit deductum quomodo ipse dominus T. de iure in vim dicti rescripti iudex esse non potest, propter causas suspicionis vehementes, pro & ex eo quia dictus P. plebanus in Q. fuit & est sibi filiaster, & consanguineus, quem maxima affectione caritatis prosequitur, secreta consiliorum suorum sibi communicando, & in præsenti causa consilia sibi dando, offerendo me prædictas meas exceptiones coram arbitris iuris probaturum, ipse tamen dominus. T. in fauorem prædicti P. de G. pronunciauit se iudicem competentē contra iuris dispositionem, comminando prædicto nobili A de B. sententiam excommunicationis, nisi coram ipso procederet in eadem causa. Vnde ex præmissis & quolibet præmissorum sentiens præfatum nobilem A. de B. fore grauatū, timensq; in posterum plus posse grauari, à prædictis omnibus grauaminibus illatis & inferendis, videlicet repulsione exceptionum prædictarum, comminatione sententiarum excommunicationis fulminan. & quouis alio grauamine quod ex inde sequi posset, ad sanctissimum in Christo patrē dominum Greg. diuina prouidentia Papam XIII. & sacrosanctam Romanam Ecclesiam, sedemque apostolicam in his scriptis prouoco & appello, apostolosq; primò instanter, secundò instantius, tertiò instantissimè peto, si est qui mihi eos dare velit & possit, vel saltem à te notario publico literas testimoniales in fidem testimonij omnium præmissorum, subijciens præfatum nobilē, tuitioni ac protectioni sedis apostolicæ antedictæ. Saluo iure addendi, minuendi, corrigendi, & alijs iuris beneficijs.

¶ Notarius scribit. Die Veneris. &c. procurator nobilis. A. de B. appellationem parti aduersæ insinuatam, domino T. interposuit & apostolos petijt, & dominus respondit se velle deliberare ad xiij. dies super apostolis recepta copia appellationi. Præsentibus &c.

¶ *Restitutio in locum grauaminis.*

ADVENIENTE Autem termino dandorum apostolorum, seu responsionis super appellatione iudex potuit restituere

tuere partem appellantem in locum grauaminis. Et notarius sic scriberet. Die Lunæ. &c. L. procuratore nobilis, A de B. in præsentia domini T. comparente & petente apostolos prout terminus requirebat, dominus ad pronunciandum voluntatem suam super apostolis, mandauit incontinenti citari S. procuratorem discreti domini P. plebani in Q. Et ipso citato comparente, reposuit nobilem. A. de B. in pristinum statum & locum grauaminis, reuocando suam interlocutoriam à qua fuit appellatum, & interlocutus est denuo admittendo exceptiones de quibus supra ad probandum coram arbitris eligendis per partes. Et partibus discordantibus assignauit arbitros Vene. Grego. de Sha. & Lau de Slup. decre. doct. præfigendo terminum duorum mensium ad probandas dictas exceptiones, alius in defectu probationum, dixit se velle procedere in causa. Et. L. procuratore nobilis A. petente vt dominus in scriptis committeret dictis doctoribus recipere probationes, vt receptis probationibus, facerent, quod iuris est, dominus respondit, quòd de iure hoc facere nõ deberet, ad importunam tamen instantiam dicti procuratoris prædicti nobilis A. de B. decreuit in forma meliori.

¶ Nota quæcunq; notarius circa huiusmodi scribit processum, illa intelliguntnr facta fuisse in iudicio. Vnde ex huiusmodi actis facile quis doctrinam elicere potest, quid opus facto sit, simili casu eueniente.

¶ *Subdelegatio arbitris.*

THO. Rom. Canonicus, & Offic. Craco. generalis, iudex commissarius causæ partibus infrascriptis per sanctissimum in Christo patrem dominum Greg. diuina prouidentia Papam XIII. specialiter deputatus. Venerabilibus viris dominis. G. de S. & L. de S. decretorum doctoribus, salutem in domino. Literas sanctissimi in Christo patris & domini domini Greg. diuina prouidentia Papæ prædicti pro parte discreti domini P. de G. plebani in Q. diœcesis Craco. coram notario & testibus in actis nostris descriptis, nos cum ea qua decuit reuerentia recepisse noueritis, huiusmodi sub tenore Greg. Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio T. Cano. & of-

ficiali generali Craco. salutem, & apostolicam benedictionē. Dilecti filij P. plebani in Q. diœcesis Craco. præcibus inclinati, p̄sentium autoritate tibi mandamus, quatenus ea quæ de bonis &c. Vigore quarum literarum, vocato, & citato nobili A. de B. diœcesis G. ad instantiam p̄dicti P. plebani in Q. diœcesis Craco. ad p̄sentiam nostri, processimus ad nonnullos actus iudiciarios successiuè, & tandem per L. de N. ꝓcuratorem p̄dicti nobilis A. de B. exceptum extitit contra iurisditionem & de suspectione personæ nostræ, ac alijs in exceptionibus contentis. Et quia secundùm iuris dispositionē in proprio facto iudex esse non possumus, cùm iuxta decreta legum nullus sibi ius dicere potest. C. ne quis in sua ca. iudi. p̄s. per tot. Indignum est enim aliquē suæ rei iudicē fieri. l. Iulianus. ff. de iudi. ꝓpter quod admisimus p̄dictas partes per nostram interlocutoriam, ad eligendum arbitros idoneos, qui fideles in dictis exceptionibus valeant ꝓbationes recipere testium, & ipsis receptis, quod iustū esset decernerēt. Et q̄a p̄dictæ partes super electione arbitrorum dictorū discordes fuerunt & discordabant, nos litibus finē imponere volentes, & de vestris, legalitate & industria in domino plurimum confidentes, ex officio nostro, vestras venerabilitates ipsis partibus in arbitros elegimus, & ad præmissa assignauimus & assignamus, mandantes vobis in virtute sanctæ obediētiæ, & sub excōicationis pœna, quatenus receptis actis corā uobis actitatis, quæ vobis per notarium causæ propter loci vicinitatē dirigimus, à die datæ præsentium, probationes testium, & alias quibus dictus excipiens voluerit vti, infra duos menses recipere curetis, & ꝙ iustum fuerit, vestrā per interlocutoriam, vtpote si visum fuerit causam prædictam ad nos remittētes, vel nos iudicem competentem non posse pronunciando, fine debito decidatis. Testes verò, qui nominati fuerint, si se gratia, timore, odio, vel amore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere. Datum. &c.

¶Nota quòd iudex qui recusatur, potest statuere terminum arbitris ad finiendam causam recusationis, quo termino elapso, si causa non fuerit finita, procedet in causa principali, vt est tex. in c. legitima de appel. lib. vj.

¶*Præsentatio*

¶ *Præsentatio subdelegationis coram aliquo.*

HVIVSMODI Subdelegatione arbitris præsentata, notarius scribit. Anno domini &c. die tali.mensis. In collegio canonistarum studij Cracoui. generalis in caminata venerabilis domini G. de S. decret. doct. L. de N. procurator nobilis A. de B & N. de I. imperiali autoritate, notarius, personaliter constituti, in præsentia venerabilium dominorum Gregorium de Sham. & Laurentium de Slu. decretorum doctores, commissionem & acta coram præfato venerabili domino. T. actitata, in octo folijs conscripta, præsentauerunt: præfatiq; domini doctores receptis prædictis commissione & actis, cum debita reuerentia, tanquam filij obedientes, citationem contra testes, prædicto L. de N. procuratori nobilis A. per ipsum nominandos decreuerunt ad octauam diē. Præsentibus. &c.

¶ *Testes inducuntur.*

TESTIBVS Citatis in termino comparentibus, procurator petat vt supra.

¶ Notarius verò scribat. Die Martis decima mensis Februarij Laut. procurator nobilis A. de B. diœcesis Gneznen. in præsentia venerabilium doctorum Gregorium de Sha. & Laurentium de Slu. oblata citatione legitimè executa iuxta morem patriæ, produxit testes infra scriptos H. de D. & M. de F. hæredes pro prima dilatione (renunciando alijs dilationibus) à quibus prædicti domini doctores receptis iuramentis, mihi notario examen eorundem commiserunt, S. ipsius P. procuratore protestante de excipiendo contra personas testium & dicta ipsorum, & quod non examinentur, nisi secundùm interrogatoria per ipsum danda, quæ præfati domini doctores statim peracto prandio iusserunt dare, aliâs in contumaciam ipsius non dantis interrogatoria, decreuerunt testes examinari.

¶*Interrogatoria.*

INTERROGATORIA Infrascripta, procurator & nomine procuratorio discreti domini P.plebani in Q.dat facit, exhibet & producit, secundùm quæ & quodlibet ipsorum petit testes partis aduersæ examinari, qui si secundùm ipsa & quodlibet ipsorum non fuerit examinati, vult habere pro non examinatis,de quo solenniter protestatur.

¶ Et primò notarius recepto quolibet teste in secretiorē locum, reducat sibi ad memoriam iuramentum per ipsum præstitum de veritate dicenda in præsenti causa pro vtraque parte. Item exponat sibi quomodo falsidicus testis tribus est obnoxius,vt supra.Item inquirat vtrũ sit Pater noster, Aue Maria,Credo,& si communicauit de anno præsenti. Item si est excommunicatus. Item cuius ætatis sit, & quantum in bonis habeat,& vtrum sit consanguineus vel amicus vel inimicus alicuius partium.Et si dixerit quòd sit cōsanguineus, inquirat in quo gradu consanguinitatis, & omnia fideliter conscribat.Item quem vellet esse victorem in causa præsenti,& cui plus faueret de victoria causæ. Item num condictauit cum suis contestibus de vnanimi testimonio ferendo. Item si est informatus qualiter debeat testificari,& per quē. Item vtrum habeat notitiam parentum venerabilis domini Tho.canonici & officialis generalis Craco.Et signanter si nouit patrem vel matrem & alios consanguineos præfati domini Thomæ, videlicet strenuum C. camerarium Sandomi.vel alios eius genealogiæ. Et si dixerit quod sic: interrogetur de causis notitiæ & scientiæ diligenter. Generalibus sic expeditis.

¶ Veniendo ad exceptiones articulatas, & primò ad primam quæ sic incipit. In primis. &c.Si testis dixerit esse verum, inquiratur diligenter de causis scientiæ & gradibus consanguinitatis, videlicet in quo gradu consanguinitatis discretus dominus P. plebanus in Q. attineat præfato domino Tho.seu in quo gradu consanguinitatis sit sibi iunctus. Et omnia diligenter conscribantur, per notarium,cum singulis circunstantijs prout ipse testis deposuerit.

¶Item

¶ Item circa alias ſequentes, ſi teſtis dixerit aliquas ex ipſis eſſe veras, inquirat diligenter de cauſis ſcientiæ. &c. vt ſupra circa priora interrogatoria dictum eſt.

¶ *Examen teſtium.*

NOTARIVS Itaque habitis interrogatorijs, teſtes examinaturus ſcribit. Sub anno domini 1573. Die Martis penultima Februarij, teſtes infraſcripti pro parte nobilis A. de B. diœceſis Gneznen. videlicet I. de Q. & D. de H. hæredes, per me N. notarium de mandato dominorū doctorum ſunt examinati.

¶ Primus teſtis nobilis H. de D. citatus, iuratus & ſecundùm interrogatoria examinatus, reducto ſibi in memoriam iuramento per ipſum præſtito de veritate dicenda, & quomodo falſidicus teſtis &c. Scit Pater noſter. Aue maria. Credo. Communicauit de anno præſenti in feſto paſchæ. Non eſt excommunicatus, ætatis quadraginta annorum, habens in bonis vltra trecentas marcas vt ipſe æſtimat. Conſanguineus & frater domini P. plebani in Q. contra quem producitur, fauens parti habenti iuſtitiam. Non condictauit cum ſuis conteſtibus, nec informatus eſt qualiter debeat teſtificari. Deponit non cauſa odij, amicitiæ, vel fauoris: ſed purè propter deum. Nihil eſt ſibi datum, nec ſperat ſe aliquid habiturum pro teſtimonio per ipſum ferendo.

¶ Super prima exceptione articulata, ſibi vulgarizata, quæ ſic incipit. In primis ſiquidem ponit. &c. interrogatus, dixit ipſam eſſe veram ex propria ſcientia, cauſam ſcientiæ reddens, quia nouit parentes vtriuſque, videlicet domini T. &c. ſtrenuum S. palatinum Sandomi. & dominū P. plebani in Q. ſtrenuum. C. Camerarium Sando. qui dum vixit in humanis, fuit frater patruelis germanus dicti domini Tho. &c.

¶ Super ſecunda ſibi vulgarizata interrogatus, dixit ſibi non conſtare.

¶ Super tertia, quæ ſic incipit. Item ponit vt ſupra. quòd communis, &c. interrogatus, dixit ipſam eſſe per omnia veram, cauſam ſcientiæ reddens. Quia quotieſcunque prædictus

ctus P. habeat aliqua ardua facere, sine consilijs præfati domini T. non facit, & econuerso.

¶ Item super quarta videlicet quod consanguinei inter se iudices esse non possunt, sibi vulgarizata interrogatus, dixit sibi non constare, quia non est iurista, sed laicus, solùm literas missiles dixit se scire legere, sed non scribere.

¶ Super vltima de fama interrogatus, dixit famam fuisse & esse super depositis per ipsum &c.

¶ Causa breuitatis committitur secundi & tertij testium examen, & pone casum propter sententiam interlocutoriā, quod præcisè eodem modo deponant, sicut primus. Si tamen examinarentur, necesse est cuiuslibet dicta seorsum diligenter conscribere nihil omittendo. vt suprà. circa simile examen diximus.

¶ *Præparatio ad interlocutoriam.*

QVID Demum faciendum sit, sequentes actus edocēt. Notarius scribit.

¶ Die Iouis secunda mensis Martij procurator nobilis A. de B. citato L. procuratore discreti domini P. de G. plebani in Q. renunciando vlteriori productioni testium, petijt per dominos doctores interloqui. Ex aduerso S. procurator plebani, petijt sibi publicari dicta testium. Et præfati domini doctores publicatis attestationibus, decreuerunt fieri copias procuratoribus partium hincinde, & terminum prædicto S. ad dicendum contra seu ad excipiendum ad octauam diem assignauerunt. Præsentibus &c.

¶ Die tali mensis. &c. L. procurator nobilis A. de B. personaliter comparens, accusauit contumaciam S. procuratoris P. plebani in Q. nihil facientis in termino seu non excipientis prout terminus requirebat, & contumaciam ipsius nihil facientis petiuit interloqui. Ex aduerso procurator dicti P. plebani, satisfaciendo termino, excepit generaliter verbo cō tra despositiones & dicta testium nobilis A. de B. dicens ipsas de iure inadmissibiles, & testes similiter tanquam singulares, diuersos & aduersos sibi inuicem & cum suis contestibus. L. autem procurator nobilis A. replicando verbo generaliter,

liter, dixit ipsos optimè deposuisse & suam intentionem sufficienter probauisse. Et hincinde peten. interloqui, domini doctores præfixerunt terminum ad octauam diem ad interloquendum & pronunciandum voluntatem ipsorum. Præsentibus &c.

¶ *Interlocutoria habens vim diffinitiuæ.*

Nos Grego. de Sha. & Lauren. de Slup. decretorum doctores arbitri per venerabilem dominum Tho. &c. autoritáte apostolica deputati, sedentes pro tribunali, interloquendo pronunciamus exceptiones pro parte nobilis A. de B. diœcesis Gneznen. oblatas iudicialiter coram præfato domino Thom. contra iurisditionem suam in personam ipsius de suspitione & alijs contentis in eisdem exceptionibus, fuisse & esse sufficienter probatas, & ob hoc obstantibus dictis exceptionibus præfatum dominum Tho. non potuisse nec posse esse iudicem competentem in causa, quam discretus dominus P. plebanus in Q. diœcesis Craco. prædicto nobili A. de B. intentauit autoritate antedicta coram præfato domino. Tho. prædictumq; dominum P. plebanum in Q. præfato nobili A. de B. in expensis in lite factis à principio causæ, condemnandum fore & condemnamus, quarum expensarum taxationem, nobis in posterum reseruamus. Lata & lecta est hæc sententia interlocutoria per me G. de S. decretorum doctore de consensu domini L. de S. decretorum doctoris coarbitri præsentis causæ.

¶ Notarius &c. Die tali mensis &c. in collegio canonistarum in camera venerabilis G de S. decretorum doctoris L. procurator nobilis A. de B. in præsentia dominorum doctorum personaliter comparens, per eosdem dominos doctores interloqui petiuit. Et hinc inde petentibus, præfatus dominus G. de S. de consensu & voluntate domini L. de S. doctoris sui coarbitri interlocutus est in scriptis pronunciando exceptiones pro parte nobilis A de B super suspitione domini Tho. fuisse sufficienter probatas, & ipsis obstantibus præfatum dominum Tho. &c non potuisse nec posse esse iudicem competentem in causa prædicta, condemnantes

nantes dominum P. plebanum in Q. in expensis prædicto nobili A. de B. in lite factis, reseruando ipsarum taxationem in posterum S. procuratore prædicti P. de G. plebani in Q. protestante de grauamine & appellando Præsentibus. &c.

¶ Nota circa prædicta, quod illa interlocutoria dicitur habe vim diffinitiuę. quæ quamuis non diffiniat negocium principale, ad quod principaliter in iuditio est actum, tamē post se non expectat aliam sententiam à iudice eam proferente, secundùm Anto. de Butr. & Sicul. in cap. j. de re iudic. Vnde sententia super exceptione peremptoria, habet vim diffinitiuę secundùm gloss. ij. in clemen. fin. de appel. vt si iudex pronunciet electum pati defectum in scientia, ætate, moribus, vel natalibus, iuxta. c. cum in cunctis. de elect. vel si in causa matrimoniali, pronunciet actorem seu petentem, esse consanguineum vel affinem. &c. ipsius rei c. literas de re sti. spoli. cum simili. vel si pronunciet iudex, sibi iurisditio nem non competere c siccantibus. de offic. deleg. vel si pronunciet super desertione appellationis, à diffinitiua, interpositę, vt tenet Decis. Rotæ. 432. vel si pronunciet super taxatione expensarum: aut pronunciet, tertiò appellari non posse ij. q. vj. si quis in quacunque, & c. sua. de appel. C. ne liceat in vna ea. causa tertio ap. l. vna. Et talis interlocutoria, habens vim diffinitiuę, non potest reuocari per iudicem vt tenet doct. in c. cum cessante. de app. & in l. quod iussit. ff. de re iud. sicut & diffinitiua. Nam eam semel latam siue benè siue malè, iudex tulerit, reuocare non potest, cùm suo sit functus officio, etiam si sit iudex successor, tamen sui antecessoris diffinitiuam reuocare nō potest l j. C. senten. rescin. non posse, vbi de hoc vide glo. ij. q j. in summa.

¶ *Appellatio*.

CORAM Vobis venerabilibus & honorabilibus viris dominis hic præsentibus & astantibus & te notario publico tanquam persona authentica & fideli, ego S procurator discreti P. plebani in Q. animo & intentione appellandi, propono, allego, atque dico, quod Quamuis venerabilis

bilis T. &c.venerabilibus G.de S.& L.de S. decretorum doctoribus per ipsum arbitris deputatis super quibusdam prætensis friuolis exceptionibus pro parte nobilis A. de B. contra iurisditionem suam in personam ipsius coram ipso iudicialiter productis, in quibus quædam de suspectione ipsius domini T. quomodo esset suspectus ratione consanguinitatis, consiliorum admissione & alijs in eadem prætensa exceptione deductis prædicto nobili A de B. in causa vertente inter discretum dominum P.plebanum in Q. actorem ex vna & prædictum nobilem A. de B. reum partibus ex altera autoritate apostolica non plus quam nudam & singularem exceptionem testium, super causis suspicionis in dictis exceptionibus contentis & pronunciationem an ipse possit esse iudex competens in prædicta causa aut non, ex probatione dictarum prætensarum exceptionum, commiserit vel aliâs subdelegauerit, præfati tamen domini doctores dilatantes fimbrias ipsorum & os in cœlum ponentes (ipsorum reuerẽtia semper salua) excedentes metas dictæ commissionis, aliâs subdelegationis, exceptiones fuisse probatas, & obstantibus probationibus dictarum exceptionum præfatum dominum T. non potuisse nec posse esse iudicem tanquam suspectum nobili A.de B pronunciauerunt, præfatum dominum P.plebanum in Q in expensis prædicto nobili A. de B.condemnantes, ꝙ nunquam fuit eis commissum. Vnde ex præmissis & quolibet præmissorum sentiens præfatum dominum P.plebanum in Q.fore grauatum, timensque in posterum plus posse grauari, cùm ex præteritis malis verisimiliter præsumendum est de futuris, à prædictis omnibus grauaminibus illatis & inferendis, & quolibet ipsorum, condemnatione expensarum & interlocutoria prætensa, sine alio grauamine quod exinde sequi possit, ad sanctissimum in Christo patrem dominum, dominum Greg. diuina prouidentia Papam XII. & sacrosanctam Romanam Ecclesiam, sedemq; apostolicam in his scriptis prouoco & appello, apostolosq; primò instanter, secundò instantius, tertiò instantissimè peto, si est qui mihi eos dare velit & possit, vel saltem à te notario publico literas testimoniales in fidem & testimonium omnium præmissorum, subijciens præfatum dominum

num P. de G. plebanum in Q. cum omnibus sibi adhærentibus, & adhærere volentibus, tuitioni & protectioni sedis antedictæ. Saluo iure addendi, minuendi, corrigendi. &c. Et alijs iuris beneficijs semper saluis.

¶ Notarius &c. Die tali, mensis talis S. procurator discreti domini. P. plebani in Q. in caminata venerabilis domini G. de S. decretorum doctoris, in collegio canonistarum, in præsentia venerabilium dominorum doctorum prædicti G. de S. & L. de S. insinuauit & notificauit ipsis appellationem, interpositam ab interlocutoria ipsorum lata pro parte nobilis A. de B. & contra prædictum P. plebanum in Q. petens apostolos. Et præfati domini doctores responderunt velle deliberare super eisdem infra terminum iuris. Præsentibus. &c. Quod autem supra in appellatione est dictum quòd in expensis condemnare, non fuit arbitris commissum. Illud est verum, quod non fuit explicitè & expresè commissum. Sed benè implicitè, tacitè, & interpretatiuè. Quia cui committitur principale, eidem & accessorium. ca. de prudentia. de dote post diuortium restituenda. cum similibus. at expensæ litis sunt accessoriæ, vide text. in cap. cum appellationibus. de appellat. lib. vj. Notandum pro sequenti processu, quod quatuor requiruntur in appellatione ab interlocutoria, vel à grauamine extraiudiciali.

¶ Primò quòd appellans appellet in scriptis.

¶ Secundò quòd exprimat causam in specie, suæ appellationis, clem appellanti. de appel. & c. j. eod lib. vj.

¶ Tertiò quòd illa causa sit rationabilis & legitima, idest talis quæ si esset vera, concluderet ipsum appellantem fuisse grauatum.

¶ Quartò appellans requirat iudicem à quo, vt sibi det apostolos, qui apostoli dicuntur pars appellationis, adeò quòd si infra triginta dies non fuerint legitimè petiti, perinde censebitur, ac si non fuisset appellatum, vt in ca. ab eo. de appell. lib. vj. & in clem. ij eo. de quo not. in c. cordi. de appel lib. vj. Vnde iudex appellationis, antequam appellanti decernat citationem contra appellatum. Primò debet animaduertere, vt sibi constet quod fuerint obseruata omnia prædicta per ipsum appellantem, quia illa requiruntur ad deuolutionem

causæ,

causæ, de quo ipse appellans tenetur iudicem appellationis informare. Ita quòd cautum imò necessarium est, quod appellans portet secum sententiam interlocutoriam vel diffinitiuam, & instrumentum appellationis, ostendatque ea iudici ad quem, vt illis simul collatis appareat infra decem dies, ex causa legitima fuisse appellatum, & apostolos petitos. &c. secundùm Phil. Franc. post Gemin. in ca. Romana. §. cum autem & § sequenti. de appel. lib. vj. alioquin iudex appellationis non debet inhibitionem facere iudici à quo, nisi primò citet appellatum, ad opponendum contra ipsam appellationem. vt in al. ca. Romana. § quod si obijciatur. Et si iudex appellationis cognouerit esse appellatum ex causa legitima tunc incipiat cognoscere de eius veritate, puta admittendo testes vel instrumenta, per quæ possit probari veritas causæ. Quibus sic præcedentibus, statim potest inhibere iudici à quo, & non ante, vt tenet Gemin. in al. §. quod si obijciatur. & ita tenent domini de Rot. decis. 412. quæ incipit. Item si manifestè friuolæ, in nouis decis. alioquin his omissis, non erit inhibitio legitimè & canonicè facta, nec operabitur effectum reuocationis attentatorum, de quo vide te latius, si placet Philip. Franc. in d. §. quod si obijciatur, & in al. Decisi. 412 Si autem fuerit à diffinitiua appellatum, primò oportet quòd constet benè appellatum, & infra decem dies, etiam nulla causa expressa, dum tamen appellatio, non sit inhibita à iure vel ab homine. Nam his concurrentibus statim inhibere potest iudici à quo, de quo latè Gemi. in al. §. quod si obijciatur, addens, quòd attentata post interlocutoriam & ante inhibitionem, non reuocantur per iudicem appellationis per modum attentatorum sed attentata post diffinitiuã, bene reuocantur. cap. non solùm. de appel. lib. vj. Notandum etiam quòd iudex appellationis, ab interlocutoria, debet duas proferre sententias, primò debet pronunciare ex legitima causa fuisse appellatum, & ob id sibi iurisditionem in causa appellationis competere seu causam ad se esse legitimè deuolutam. Secundò debet pronunciarre benè, aut malè in prima instantia per iudicem à quo fuisse sententiatum, & ob id benè, aut malè fuisse ad se appellatum, de quo infra latius in processu secundæ instantiæ.

¶ *Declara-*

¶*Declarationes expenſarum.*

DECLARATIONES Expenſarum infraſcriptas. L. procurator nobilis A. de B. dat, facit, exhibet & producit, ſecūdùm quas petit expenſas per ipſum factas in cauſa, taxari. Et primò idem nobilis. A. de B. marcas dedit procuratori pro ſalario tres, pro mercede obligando ſe adhuc ſatiſfacturum, quam ſatisfactionem, adhuc ad quinque marcas æſtimat vltra prædictas tres. Item notario dedit marcam ſalariando ipſum pro notis, copijs & literis citationum. Item pro regeſtro in cauſa vnam ſexagenam. Item pro conſtitutione procuratoris vnum groſſum. Item quinque vias fecit per ſe met bis in equis per viginti miliaria de domo Cracoui. Item procurando teſtes expenſis ſuper duplicibus exceptionibus, expoſuit quinque marcas. Item pro examine teſtium pro quolibet teſte dando duos groſſos. expoſuit decem groſſos. Item pro poculento à lata ſententia dominis doctoribus ad malmaticum expoſuit marcam. Item pro ſalmonibus tres fertones. Saluis alijs quæ committit.

¶*Taxatio expenſarum.*

NOTARIVS Scribit. Die tali menſis talis, procurator nobilis A. de B. citato S. procuratore diſcreti domini P. plebani in Q. declarationes expenſarum conſcriptas in carta papiri, in præſentia præfatorum dominorum doctorum G. de S. & L. de S. comparendo obtulit, petiuitq; ipſas taxari. Ex aduerſo S. procuratore P. plebani dicente ipſas non debere taxari, cum adhuc penderet terminus ad dandum apoſtolos. Et præfato L. procuratore nobilis. A. petente ſibi dari apoſtolos, domini doctores ambo reſponderunt ſibi, quomodo iam functi eſſent officio, & iuriſditio ipſorum expirauit, & nihil amplius haberent facere in cauſa prædicta. Et facta hac reſponſione ſuper apoſtolis, taxauerunt expenſas ipſi nobili A. de B ad ſeptem marcas, recepto iuramento à dicto L. procuratore nobilis A quod tantum neceſſe habuit exponere in
cau▪ cauſa, aliàs non expoſiturus. Et proceſſus cenſurarum decreuerunt

creuerunt super eisdem. Et ibidem statim dictus S. parendo mandatis dominorum doctorum, petiuit sibi terminum præfigi ad soluendum, protestando quòd solutionem quam facturus est, illam non facit nisi metu sententiarum excommunicationis, asserens se propter hoc grauatum. Et domini doctores secundùm iuris dispositionem præfixerunt sibi terminum quadrimestre. Præsentibus. &c.

¶ Intra quod tempus sententia est executioni demandanda notatur infra post 36. folia, aliâs in fine vltimæ instantiæ ipsius causæ.

¶ *Processus coram iudice ordinario in prima instantia.*

CASSATA Delegati iurisditione, amplius coram eo non proceditur. Quæ si cassata non fuisset, puta si arbitri eum iudicem competentem causæ & partibus pronunciarent, vel si partes in eum mutuo consensu consentirent; idem processus in causa seruaretur coram illo, qui coram ordinario iudice obseruari solet. Vnde optimo iure post præmissa, processum coram ordinario iudice subiungimus in hoc exemplo.

¶ *Casus Figuratio.*

M. PLEBANVS In L. diœcesis Craco. intentauit actionem S. plebano in N. eiusdem diœcesis, occasione decimæ, quam præfatus S. occupauerat in parochia & infra limites parochiæ prædicti M. Actor fundat intentionem suam in iure communi, reus verò sese defendendo fundat suam intentionem in præscriptione. Et ventilatur causa coram Episcopo Craco. vel eius vicario, aut officialibus.

¶ Parte itaq; citata corã iudice competenti, actor contra reũ iudicialiter proposuit, hæc quæ notarius sic conscripsit.

¶ Sub Anno Domini. &c. quintadecima Mẽsis Februarij. F. de C. oblata citatione legitimè executa proposuit contra dominum. S. plebanum in N. verbo quomodo decimam predialem & post agros obtinet bonum in villa G. suæ parochiæ, quæ de iure communi ad ipsum dominum M. & suam paro

chiam pertinet, occupauit & detinet occupatam, nullo sibi iure in eadem competente, spoliãdo suam Ecclesiam, petens sibi eandem decimam adiudicari, ipsumq; in perceptis fructibus & expensis condemnari, offerens se prædicta latius daturum in scriptis, & dominus præfixit terminum ad octauã diem ad describendum. Præsentibus.

¶ Notandum quòd de iure communi, omnes decimæ intra fines alicuius parochialis Ecclesiæ sitæ, sunt eiusdem Ecclesiæ. c cum homines. c. tua nobis. de deci. Videte tex. cum no. in c. j. de præscr. li. vj. & in c. ad decimas. de rest spol. eo. li.

¶ Notandum etiam. Quòd præscriptio, id est diuturna possessio rei, continuata bona fide, dat iustam causam acquirendi dominium rei, dum tamen cõcurrant quinq;. versus.

Non vsu capies, nisi sint tibi talia quinque.
Recta fides, iustus titulus, res non vitiosa.
Quòd res tradatur, possessio continuetur.

Videte glo. summæ. xvj. q. iij. cum concord.

¶ *Tenor libelli conuentionalis summarij.*

CORAM Vobis venerabili domino T. Cano. & Officiali generali Craco. procurator & nomine procuratorio discreti domini M. plebani in L. Ecclesiæ tituli sancti I. diœcesis Cracoui. suo & Ecclesiæ suæ nominibus, contra & aduersus discretum S de B. plebanum in N. dictæ diœcesis Cracoui. & contra quamcunque personam pro ipso vestro in iudicio legitimè interuenientem, graui cum querela proponit, atque dicit, quòd quamuis omnes & singulę decimæ manipulares campestres, diuersi grani seu seminis, videlicet, tritici, siliginis, auenæ, pisæ, ordei, cæterorumq; frugum, seu sementorum, post agros omnes & singulos, tam prediales nobilis P. quàm sculteti, & chmetonum in villa G. infra & intra limites parochiæ Ecclesiæ prædictæ in L. sita & locata, à x. xx. xxx. xl l. lx. citra & vltra annis, & à tali tempore, & per tantum tempus cuius initij & contrarij memoria hominum nõ existit, & præsertim à tempore erectionis, & fundationis dictæ Ecclesiæ in L ad prædecessores præfati domini M & ipsius Ecclesiam parochialẽ in L. pertinuissent & spectassent, & nunc pertinent, & spectant, tam de iure communi, quàm de consue-

consuetudine legitimè pręscripta, hominesq; vtriusq; sexus, in prædicta villa G. à temporibus supra descriptis perceperunt, & percipiunt Ecclesiastica sacramenta, tam voluntaria, quàm necessaria, à plebanis & ipsorum ministris seu vicarijs pro tempore existentibus ibidem in L. ac ab ipso M. domino plebano, à temporibus quibus prædictam Ecclesiam fuit, & est assecutus, fuerintq; nonnulli prædecessores præfati domini M. plebani, & suæ Ecclesiæ in possessione pacifica, & quieta, vel quasi prædictarum omnium, & singularum decimarum, in prædicta villa G. dictas decimas manipulares, & campestres percipiendi, leuandi, colligendi, ac eas sæpe & sæpius collegerunt, & leuauerunt, & de ipsis secundùm libitũ & voluntatem ipsorum disposuerunt, in vsus proprios conuertendo, prout etiam ipse dominus M. deberet percipere, & leuare, & de ipsis disponere. Nihilominus tamen prædictus dominus S. aduersarius prædicti M. plebani in hac causa, de & super prædictis decimis se opposuit, & opponit, impediuit, & impedit, fecitq; & facit quominus idem dominus M. dictas decimas percipere, & colligere possit, ipsasq; nescitur quo ductus spiritu, vsurpauit, & intrusit se & intrudit ad easdem, ac ipsas prętextu intrusionis, & vsurpationis à triginta annis citra vel vltra detinuit, & detinet indebiie occupatas & minus iustè, in animę suę periculum, dictiq; domini M. & suæ Ecclesiæ præiudicium non modicum & grauamẽ.

¶ Petit igitur dictus procurator nomine quo supra procuratorio per vos venerabilem virum dominum Tho. Cano. & Offic. Craco. vestramq; sententiam diffinitiuam dici, decerni, pronunciari, & declarari omnes & singulas decimas manipulares & campestres, ex quibuscunque granis, vel seminibus infra fines & limites prædictæ villæ G. in parochia, seu infra parochiam Ecclesiæ parochialis sancti I. in L. sitæ, tam post agros prædiales nobilis A. excrescentes, quàm etiã omnium & singulorum sculteti, & chmetonum eiusdem villæ G. ad prædecessores pręfati domini M. & suam Ecclesiam à temporibus legitimè præscriptis, & supra deductis, pertinuisse, & ad ipsum dominum præfatum M à tempore quo assecutus est Ecclesiã prædictam in L. pertinuisse & spectasse, pertinereq; & spectare, tam de iure communi, quàm de con

 suetudine

ſuetudine legitimè præſcripta, prædictoq; domino M. prædictas decimas cum omnibus iuribus & pertinentijs ſuis adiudicandum fore & per vos adiudicari, prædicto S. aduerſario in dictis decimis manipularibus & earum occaſione iniurias & damna præſtitas & præſtita fuiſſe & eſſe temerarias, illicitas & iniuſtas: temeraria illicita & iniuſta, & de facto præſumptas & præſumpta, ipſiq; domino S. de & ſuper occupatione & detentione dictarum decimarum oppoſitionibus, intruſionibus vſurpationibus, detenſionibus, & impedimentis, ac decimis manipularibus prædictis, perpetuum ſilentium imponendum fore & per vos imponi, dictumq; dominum S. aduerſarium ab occupatione & detentione dictarum decimarum amonendum fore & per vos amoneri, præfatumque M. plebanum in L. in & ad realem, actualem & corporalem poſſeſſionem dictarum decimarum inducendum fore & per vos induci, dictumque dominum S aduerſarium, in decimis prædictis manipularibus & campeſtribus à tempore dictæ intruſionis perceptis, & in expenſis in hac cauſa coram vobis propterea legitimè factis, condemnandum fore & per vos cō demnari, iuſtitia mediante.

¶ Prædicta & quodlibet prædictorum petit dictus procurator nomine quo ſupra, tam coniunctim, quàm diuiſim, alijsq; omnibus melioribus, modo, via iure ſtilo, & forma, quibus melius & efficacius peti poſſunt & debent. Saluo iure addendi, minuendi, corrigendi, & alijs iuris beneficijs ſemper ſaluis. Item proteſtatur de expenſis in lite factis. Item proteſtatur vt eſt moris atque ſtili huius conſiſtorij. Circa prædicta ſcito quòd ſacramenta neceſſaria ſeu neceſſitatis ſunt quinque ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucariſtia, & Vnctio extrema. Et dicuntur neceſſitatis, quia ſine his homo ſaluari nequit, ſi ex contemptu omittantur, dum haberi poſſunt. Sacramenta autem voluntaria, ſeu voluntatis ſunt ordo, & matrimonium, quia ea omittere non eſt peccatum, de quo not. j. q. j. §. ſed notandum. & glo. ordinaria, in c. veniens. de tranſact.

¶ Nota quòd in primo termino citationis poteſt indifferenter offerri libellus ſummarius, vt præmiſſum eſt, vel articulatus, vt ſequitur.

¶ *Libellus*

¶ *Libellus Conuentionalis Articulatus.*

CORAM Vobis venerabili viro domino Tho &c. procurator & nomine procuratorio discreti M. rectoris Ecclesiæ in L. diœcesis Craco. contra & aduersus discretum S. & contra quamcunque personam pro eo vestro in iudicio legitimè interuenientem dat, facit, exhibet, & producit, positiones & articulos infrascriptos per viam & modum libelli, ac summarię petitionis coniunctim & diuisim narratiuè & dispositiuè alijsq; melioribus modo & forma, quibus potest & debet, petēs eisdem singulariter singulis ꝑ partem aduersam, medio iuramento responderi, qui si negati fuerint, petit se & partem suam ad probandum admitti, non astringens propter hoc se ad aliquam superfluam probationem, sed duntaxat ad ea quæ sibi ad præsentis causæ victoriam sufficiant obtinendum. De quo solenniter protestatur.

1 ¶ In primis igitur ponit, & probare intendit, quod à x. xx. xxx. xl. &c. annis præteritis & continuè citra vel supra, ac à tanto tempore & per tantum tempus cuius initij seu contrarij memoria hominum non existit, in regno Poloniæ & intra ipsum, fuit & est esseq; consueuit, & hodie est quædam solennis ciuitas Craco. communiter vocata & appellata, habens Ecclesiam cathedralem, siue Episcopalem, ac ipsum Episcopum pro tempore vt caput, prælatos & canonicos velut mēbra, capitulum facientes & representantes, longam & limitatam diœcesim. Quod sic fuit & est verum. De hoc articulo videte. cap. nouit. & ca. & si membra, de his quæ fiunt à prælat. sine consensu cap.

2 ¶ Item ponit quod à dictis temporibus, & per ipsa tempora in dicta diœcesi Cracoui. & infra ipsam fuit esseq; consueuit quædam Ecclesia parochialis, vocata communiter & appellata Ecclesia parochialis sancti I. in L. diœcesis Craco. habens campanas campanile, fontem baptismalem, cœmeterium pro corporibus suorum parochianorū tumulandis, ac hominibus vtriusque sexus, certam & limitatam parochiam à finibus, & limitibus aliarum parochiarum circumiacentes separatam & distinctam, & alia insignia Ecclesiam

parochialem repreſentantem. Quòd ſic fuit & eſt verum. De hoc articulo videtetext.in cap. ſicut antiquitus. & in ca. ſi quis in atrio. xvij. quæſtione iiij. iuncto. cap. patentibus. de priuilegijs.

3 ¶ Item ponit, quòd à temporibus in primo articulo deſcriptis,& per ipſa tempora, necnon à tempore fundationis, ſiue erectionis dictæ parochialis Eccleſiæ,in L. omnes & ſingulæ decimæ manipulares & campeſtres diuerſi grani, excreſcentes poſt agros, & araturas prædiales nobilis A. ac omnium & ſingulorum incolarum ſculteti, & chmetonum villæ prædictæ annuatim prouenientes,ſpectauerunt & pertinuerunt,ſpectareque & pertinere conſueuerunt, ac hodie ſpectant & pertinent, ad dictam Eccleſiam parochialem in L.& ad rectorem eiuſdem Eccleſię,pro tempore exiſtentem inſolidum abſque requiſitione, ſiue conſenſu alterius cujuſcunque hodieque ſpectant & pertinent, ad ipſum dominum M.rectorem modernum. Rectoresq; pro tempore exiſtentes,ac ipſa Eccleſia à dictis temporibus, & per ipſa tempora, citra vel vltra fuit in poſſeſſione iuris percipiendi, leuandi,exigendi,colligendi, & habendi,ſupra dictas decimas manipulares,& campeſtres poſt araturas prædictorum, nobilis A,incolarumque & chmetonum, vſque ad tempus ſpoliationis infraſcriptum.Quòd ſic fuit. &c.

4 ¶ Item ponit,quòd communis opinio,aſſertio,credulitas & vera reputatio communeque dictum, ac publica vox & fama fuit & eſt,quòd decimæ manipulares & campeſtres diuerſi grani, excreſcentes poſt agros, & araturas prædiales nobilis A. prædicti, omniumque & ſingulorum incolarum chmetonum villæ ſupradictæ G.de vſu, more, & conſuetudine præſcriptis, & inuiolabiliter obſeruatis, ſpectauerunt & pertinuerunt, ſpectareque & pertinere conſueuerunt, & hodie ſpectant & pertinent ad prædictam Eccleſiam in L. & eius rectorem pro tempore exiſtentē,quodque prædicta Eccleſia & eius rector qui pro tempore exiſtebat, fuit & erat præſertim ante menſem Auguſti de anno præſenti, in pacifica poſſeſſione, habens ius decimandi, ac decimas huiuſmodi ſingulis annis leuandi, & percipiendi, ac habendi palam & publicè. Quòd ſic fuit,& eſt verum.

5 ¶ Item

5 ¶ Item ponit, quòd prædictus S. iuri vero & optimo dictæ Ecclesiæ parochialis in L. & rectori eius in dictis decimis, & possessione earum temerè, & de facto se opposuit, & opponit, ipsamque Ecclesiam in L. huiusmodi decimis, de anno Domini 1 5 7 3. mense Aug. eiusdem anni temerè spoliauit, ipsamq; Ecclesiam & eius rectorem à dicto anno millesimo. &c. citra continuè detinuit, prout, & hodie detinet spoliando præter voluntatem dicti rectoris, huiusmodique decimas sibi appropriauit & appropriat indebitè, & aliâs dictum dominum M. & eius Ecclesiam super huiusmodi decimis multipliciter molestauit, & impediuit, ac molestat, & impedit, quominus huiusmodi decimas recuperare valeat, & ad eas restitui in animæ suæ periculum, & dictæ Ecclesiæ parochialis & eius rectoris, præiudicium non modicũ & grauamen.

6 ¶ Item ponit, quòd huiusmodi decimæ siue fructus decimarum prædictarum, vt præmittitur spoliatarum xx. marcas annis singulis valuerunt, & hodie valent, si venditioni exponerentur. Et ita fuit & est verum.

7 ¶ Item ponit, quòd idem dominus M. ab vno duobus, tribus, & quatuor. &c. annis proximè præteritis citra & supra fuit, & erat, & hodie est rector Ecclesiæ in L. ac in ipsius pacifica & quieta possessione, & talis fuit habitus tentus & reputatus. Quòd sic. &c.

8 ¶ Item ponit, quòd dictus dominus M rector, & sui antecessores, sæpe & sæpius dictum dominum S. spoliatorem, ac occupatorem decimarum prædictarum, monuit & interpellauit, monueruntq; & interpellauerunt, quatenus huiusmodi decimas spoliatas, seu earum valorem præfato domino M. & eius Ecclesię restitueret cum effectu, ac se de huiusmodi decimis de cætero nullatenus intromittere deberet.

9 ¶ Item, quòd prædictus S. spoliator decimas, & earum valorem dicto domino M. rectori & eius Ecclesię, soluere, & restituere recusauit & contradixit, prout & hodie recusat, & sic contradicit. Quòd fuit.

10 ¶ Item ponit, quòd de omnibus præmissis fuit, & est publica vox & fama.

¶ Petit igitur dictus procurator nomine quo supra, procuratorio per vos venerabilẽ. &c. vestramq; sententiam diffi-

nitiuam dici, pronunciari, & declarari, prædictas omnes & singulas decimas, tam prædiales post araturas nobilis Ant. quàm etiam omnium & singulorum sculteri, incolarum & cinethonum in villa G. communiter nominata ad prædecessores dicti domini M. & Ecclesiam suam pertinuisse & spectasse, & nunc pertinere & spectare, ac ad ipsum dominum M modernum rectorem ecclesiamq; suam prædictam hodie pertinere & spectare, ipsasq; decimas omnes & singulas supra descriptas omnis grani seu seminis, ipsi domino M. & ecclesiæ suæ adiudicādas fore & ad iudicari, ipsumq; dominum S. detentorem & occupatorem dictarum decimarum, à detentatione & occupatione amouendum fore & per vos amoueri, ac ipsum dominum M. & dictam suam Ecclesiam in & ad realem, corporalem, actualemq; possessionem iuris percipiendi decimas suprascriptas restituen. reintegran. & reinducen. fore: & per vos restitui, reintegrari, & reinduci, oppositionesque, contraditiones & recusationes ac impedimēta fuisse temerarias, illicitas & iniustas: ac temeraria, illicita & iniusta, & de facto duntaxat præsumptas & præsumpta: ipsumq; S. in dictis decimis à tempore occupationis, spoliationis, & detentionis, perceptisq; fructibus, necnon in expensis propterea coram vobis legitimè factis condemnandum fore, & per vos condemnari, & aliàs, in, de & super præmissis omnibus sibi fieri iustitiæ complementum, vestrum benignum officium ad hoc humiliter imploran.

¶ Præmissa & quolibet præmissorum petit dictus procurator nomine quo supra procuratorio, coniunctim & diuisim, omnibus melioribus, modo, via, iure, stilo & forma, quibus melius & efficatius potest & debet. Saluo iure. &c.

¶ Notarius Die Lunæ xv. mensis &c. V. de C. procurator M. plebani in L. obtulit libellum in scriptis in causa decimarum ecclesiæ eiusdem, & ex aduerso A. de D. procurator S. plebani in N. petiuit copiam & terminum ad deliberandum, aliàs ad dicendum contra. Et dominus præfixit octauam diem Præsentibus. &c. Nota circa prædictam petitionem, quòd non solùm possunt peti fructus capti seu percepti, sed etiam qui à primo possessore diligentius percipi potuerunt, sed captor per suam incuriam, non omnes præcepit.

pit. vt not. in cap. grauis. de restitu. spolia.

¶ Theorica in materia Libelli notanda, & quomodo Libellus est sillogismus Iuristarum.

EX PRAEMISSIS Formulis elicere promptũ est, quòd libellus est veluti sillogismus iuristarum. Nam in eo interuenit maior, minor & conclusio quemadmodum & in sillogismo. Plerunq; tamen tacetur in libello maior præmissa tanquam de se nota. Vnde iuristæ sic implicitè arguunt. Omnis qui recipit pecuniam mutuo, tenetur illam restituere. Ticius à me accepit decem. Ergo debet mihi condemnari ad restitutionem. Sepius tamen iuristę vtuntur entimematico argumento sic. Mutuaui Ticio decem, quare peto ipsum cõdemnari. Quia lex habet maiorem propositionem ommissam pro nota secundùm Lanf. in c. quoniam contra. de probationis.

¶ Et nota quòd libellus exigitur in scriptis necessariò in causis plenarijs & magnis, secundùm Cardina. & Abb. in ca. j. de lib. ob. & Paul. de Eleaz. in cle. sæpe. de verb. sign. secus in causis summarijs & vilibus xxj. q. j. si quis cum clerico. Vide gloss. in ver. necessaria. in d. cle. sæpe. Item quia sententia debet esse conformis libello, vt in c. qualiter. ij. de accusa. c. licet heli. de si.

¶ Quomodo sententia debet esse conformis libello.

SED Dices si iudex iuxta formam & petitionem libelli debet formare sententiam, ergo omnis sententia erit condemnatoria. Omnis enim actor conclusiuè petit in libello reum condemnari. Sol. Lanf. in d. c. quoniam. dicens quòd sententia debet esse conformis libello quò ad modum decidendi, non quò ad modum concludendi seu petendi per actorem. Ita quod sententia debet esse conformis libello non quò ad eius conclusionem, sed quò ad modũ decidendi, & hoc quò ad tria, videlicet quò ad rem, quò ad causam, & quò ad actionem, hoc est per sententiam res debet terminari deducta in libello, secundùm causam ex qua est petita, & secundùm modum

dum deductum in iudicio. Et sic poterit etiam esse sententia absolutoria, cum talis poterit in se continere rem causam, & actionem in sui decisione.

¶ *Exceptiones contra libellum.*

CONTRA Quandam prætensam cartam loco libelli pro parte discreti M. plebani in L. contra discretum S. plebanum in N. nuper in iudicium vestrum oblatam & productam procurator & nomine procuratorio præfati domini S. excipit, opponit, arguit & excipiendo dicit, quod dicta prætensa carta cum contentis in ea est impertinens, vaga, obscura, in intelligibilis, & aliàs est talis quòd non meretur habere nomen libelli, prout ex eius inspectione cuilibet intuenti liquidè apparet.

1 ¶ Et primo excipiendo dicit, quòd ipse prætensus libellus seu carta libelli est de iure inadmissibilis, peccans in modo & forma, & aliâs incongruus, peccans incongruitatibus & in orthographia grammaticæ, ita ꝙ non meretur dici libellus, nec meretur dici verus vel falsus, quia incongruus, cũ verum & falsum præsupponunt congruum. Et cum hoc nõ est debitè specificatus. Nam licèt in eodem adducitur nomẽ villæ & nomen proprium hæredis, non tamen specificantur nomina propria, sculteti & cmethonum prout dictus procurator refert se ad tenorem prædicti prætensi libelli.

2 ¶ Item pro & ex eo dictus libellus est inadmissibilis, quia in eodem licèt deducatur tempus pretensę spoliationis, non tamen specificatur annus mensis & dies, cum omnia in libello specificari & absq; omni ambiguitate, debeant deduci: prout ex descriptione libelli & ijs quæ debeant contineri in libellis clarissimè elicitur.

3 ¶ Item pro & eo prædictus libellus est de iure inadmissibilis quia diffusus in materia, & confusè & indebitè conceptus, inconstructione suspensus, ac talis ꝙ etiam ad debitũ intellectum non potest reduci, & aliàs est malè narrans, peius & pessimè concludens, ita quod etiam conclusio seu petitio non procedit ex narratis. Et posito & non concesso quod procederet ex narratis, nihilominus tamen est de iu-

re

re inadmissibilis, quia narrata in petitione non concluduntur, prout dictus procurator refert se ad dictum prætensum libellum, si dici meretur, & aliàs est talis quod obstan. prædictis exceptionibus venit de iure repellendus.

¶ Ex præmissis igitur & quolibet præmissorum petit dictus procurator nomine quo supra procuratorio, per vos venerabilem dominum. &c. & vestram interlocutoriam, obstantibus deductis exceptionibus dictum prætensum libellum repellen. fore & per vos repelli, dictumq; M. plebanum in L. prædicto domino S. in expensis litis condemnandum fore & per vos condemnari, iustitia mediante. Has exceptiones &c. Saluo iure addendi, minuendi, corrigendi.

¶ Notarius die Martis sexta mensis. &c. A. de D. procurator discreti domini S. plebani in N. obtulit exceptiones in scriptis contra libellum pro parte domini M. plebani in L. super decimis oblatum. Ex aduerso V. de C. peten. copiam & terminum ad dicendum contra, aliàs ad replicandum, dominus ad octauam diem præfixit. Præsentibus. &c. Nota circa primam exceptionem suprascriptam. Quod vitium latinitatis in congruitate & constructione viciat rescriptum imò ignorans Grammaticam, deijcitur à beneficio obtento. cap. fin. de æta. & quali.

¶ *Replicationes.*

CONTRA Quandam prætensam cartam loco exceptionum pro parte domini S. plebani in N. & contra libellum discreti domini M. plebani in L. nuper in iudicium vestrum oblatam & productam, procurator & nomine procuratorio discreti M. replicat, arguit, opponit & replicando dicit, quòd dicta prætensa carta cum contentis in ea est friuola, impertinens, causa diffugij & indebitæ productionis data & concepta, non releuans producentem, nec nocens parti contra quam producitur, & aliàs est talis, quòd ipsa non obstante prædictus libellus per vos venerabilis domine, tanquam in bona & optima forma conceptus, est admittendus & debet admitti prout ex infra deductis patebit.

1 ¶ Et primò descendendo ad primam & secundam exceptiones, in quibus breuiter deducitur confusè & falsè quomodò dictus libellus peccaret in materia & forma in congruitatibus grãmaticalibus. Ad hoc replicando dicitur, ꝙ dictus excipiens fortassis non nouit materiam & formam libellorũ. Quia si intellexisset, nunquam excepisset, cùm dictus libellus sit optimè conceptus, nullum prædictorum vitiorum in se continens. Quantum autem ad congruitatem grammaticalem, replicando dicitur, quod dictus excipiens nõ est audiendus, quia non specificat loca & capitula dicti libelli in quibus esset vel videretur esse incongruus.

2 ¶ Item ad hoc vbi dictus excipiens falsè deducit libellum nõ esse specificatum in proprijs nominibus sculteri & chmetonum. Ad hoc replicando dicit, quod quotiescunque actio dirigitur cõtra vniuersitatem seu communitatem ciuitatis, villæ vel castri. &c. nunquam personæ sub proprijs nominibus debent specificari, aliàs mutatis vel extinctis personis actio extingueretur, de quo not. in l. proponebatur. ff. de iudic. & in c. quoniam Abbas. de offic. deleg.

3 ¶ Item quò ad hoc vbi dicit non esse specificatum annum mensem & diem spoliationis. Ad hoc replicando dicitur. Quantum ad annum sufficienter est specificatum, quia à xx. annis. Quantum autem ad mensem & diem. Replicando dicitur. quia in articulis specificabitur. Nam generaliter deducta in libellis, in articulis debẽt specificari, aliàs essent articuli superflui, si omnia specificè deberent deduci in libello. Et tamen ad conuincendam malitiam excipientis, dictus replicans specificando tempus spoliationis, dicit ipsam fuisse & esse factam sub anno domini &c. die mẽsis talis. &c. Et istam specificationem dictus replicans, repetit in libello petens eam reponi in actis.

4 ¶ Item descendendo ad alias prætensas exceptiones in quibus excipiens non intelligens dicit libellum diffusum & indeterminatum & inconstructiuè confectum, & cum hoc deducit, licèt falsè, quod narrata non concluderentur in petitione. Ad præmissa omnia replicando dicitur, quod dictus excipiens, fortassis grammaticæ non studuit, aut in domo non fuit concipiendo dictas exceptiones. Et breuiter dicendo,

cendo, falsè singula deducit, salua sui reuerentia, fortassis libellum non intellexit. Et vt intelligat, vadat ad scolas vt sibi declaretur. Et sic breuiter sufficienter est replicatum ad prædictas suas exceptiones impertinen. & de iure inadmissibiles.

¶ Ex præmissis igitur & quolibet præmissorum petit dictus procurator nomine quo supra procuratorio, per vos venerabilem. &c. non obstantibus dictis friuolis & prætensis exceptionibus, libellum pro parte domini M. plebani in L. oblatum, in omnibus punctis & capitulis admittendum fore & per vos admitti, vestra sententia interlocutoria mediante. Has replicationes dictus procurator. vt supra.

¶ Notarius. Die mensis.&c. V. de G. procurator M. plebani in L. præsente A. de D. obtulit replicationes in scriptis in causa decimali. Et V. prædicto duplicante verbo & hincinde peten. interloqui, dominus ad interloquen. præfixit primam diem iuridicam. Præsentibus. Nota circa primam replicationem supradictam. Quod communitas seu vniuersitas cum sit quid inanimatum mori non potest. Imò nec excommunicari debet tanquam quid inanimatum, sed primi de vniuersitate. vt est textus in capit. Romana. §. in vniuersitatem de senten. excommunic. lib. vj. de quo dic vt ibi.

¶ *Aduersariorum prætensa quæ dicuntur.*

NOTA Ex præmissis quod quæ contra nos sunt, prætensa ideo appellamus, vt ea per hoc extenuemus. Cautela enim est ne aduersarij producta per nostram simplicem assertionem approbemus, sicuti cauendum est ne aduersarium nomine beneficij super quo litigamus, prælatum appellemus, vel sibi aliquem honorem ratione huiusmodi beneficij litigiosi exhibeamus, ne per hoc videamur iuri nostro cedere. ca. ex ore. de his quæ fi. à ma. parte ca.

¶ *Facta*

¶*Facta interlocutoria.*

NOTARIVS Scribit. Die Veneris decima mensis Martij V. de C. ipsius M. & A. de D. ipsius S. procuratoribus peteñ. interloqui super ipsorum exceptionibus, & replicationibus, in causa decimali, dominus interlocutus est verbo, admittendo libellum M. salua specificatione de tempore spoliationis, compensando hinninde expensas. Et statim V. de C. specificando libellum quò ad tempus spoliationis dixit ipsam fuisse de anno domini. &c. die prima Mensis Augusti, & petiuit ipsam in actis reponi, dicto V. protestantibus de reconueniendo, & petentibus sibi dari terminum ad reconueniendum. Et dominus ad octauam diem præfixit. Præsentibus.

¶*Libellus reconuentionalis.*

CORAM Vobis venerabili Domino T. &c. A. de D. procurator, & nominé procuratorio discreti S. de G. rectoris Ecclesiæ parochialis sancti P. in N. diœcesis Cracoui. cōtra & aduersus discretum dominum M. rectorem Ecclesiæ parochialis sancti I. in L. præfatæ diœcesis Cracoui. & contra quamcunque personam pro eo, vel eius nomine vestro in iudicio interueniēn. graui cùm querela, reconueniēn. proponit atque dicit, quòd Quamuis à x. xx. xxx. xl. &c. citra, vel vltra annis, ac à tali tempore, & per tantùm tēpus cuius initij, & contrarij memoria hominū non existit, omnes & singulæ decimæ manipulares, & campestres diuersi grani, seu seminis, videlicet, tritici siliginis, auenæ, pisæ, ordei, scruti, cæterorumque frumētorum post omnes & singulos agros, tam prædiales nobilis A. quam etiā omnium singulorum sculteti, & cmethonum, & incolarum in villa G. communiter nominata, dictæ diœcesis Cracoui. ad prædecessores præfati domini S & ecclesiam suam pertinuissent, & spectassent, prout, & hodie pertinent, & spectant de consuetudine legitimè præscripta, ac à temporibus fundationis, & erectionis prædictæ ecclesiæ in N. ac ad ipsum dominum

dominum S. à tempore assecutionis eiusdem ecclesiæ, fueruntque omnes & singuli sui prædecessores in pacifica possessione iuris percipien. tollen. leuan. & in vsus pprios iuxta placitum, & libitum, ipsorumque voluntatem côuerten. & per tempora descripta inconcussè, & inuiolabiliter conuerterunt absque aliqua interruptione, ac ipse dominus S. à temporibus quibus cœpit esse plebanus similiter in possessione prædictarum decimarum fuit, prout & hodie est, saluis impedimentis de quibus infra, nihilominus tamen prædictus Matthæus prætensus, Plebanus, Ecclesiæ, prædictæ parochialis in L. perturbauit, & perturbat, molestauit, & molestat, impediuit, & impedit præfatum dominum S. in possessione prædictarum decimarum, de Anno p̄senti, opposuitq; se & opponit, contradixit, & contradicit, impedimentaque præstitit, & præstat domino S. quominus possit atque valeat gaudere pacifica, & quieta possessione prædictarum decimarum, in periculum animæ suæ, & in præiudicium non modicum, & grauamen præfati domini S. & suæ ecclesiæ prædictæ.

¶ Petit igitur dictus procurator nomine quo supra. p vos venerabilem &c. vestramq; sententiam diffinitiuam constito de assertis dici, pronunciari, & declarari, prædictas oẽs, & singulas decimas, tam prædiales post araturas nobilis A. quàm etiam omnium, & singulorum incolarum sculteti, & cmthonum in p̄fata villa G. ad p̄decessores domini S. & suã Ecclesiam in N. ptinuisse, & spectasse, & hodie ptinere, & spectare, omnesque & singulos p̄decessores p̄fati domini S. in pacifica, & quieta possessione dictarum decimarum fuisse & extitisse, p̄dictasque decimas manipulares, & campestres p̄fato domino S. & Ecclesiæ suæ p̄dictæ, adiudican. fore, & p vos adiudicari, p̄dictoque domino M. & Ecclesiæ suę in L. in ipsis decimis, & ad ipsas nullum ius competisse, nec competere, oppositionesque & contradictiones, ac impedimenta p̄fato domino S. & Ecclesiæ suæ p prædictum dominũ M. p̄stitas, & p̄stita, temerarias, & iniustas, temeraria, & iniusta fuisse, & extitisse, & ob hoc p̄dicto domino M & Ecclesiæ suæ de & super p̄dictis decimis ppetuum silentium imponẽdum fore, & p vos imponi, p̄fatumque dominum S. ab impetitione

titione dicti domini M. absoluendum fore, & per vos absolui, occasioneque indebiti tractus in causam pdictam præfato domino S. in expensis in causa legitimè factis condemnādum fore, & per vos condemnari, iustitia mediante, & aliàs de & super pmissis sibi fieri iustitiæ complementum, vestrum benignū offic. ad hoc humiliter imploran. prout sup.

¶ Notarius. Die Veneris x. Mensis. &c. R. de D. pcurator domini S. de G plebani in N obtulit libellum reconuentionalem in scriptis, ex aduerso V. de C. pcuratore domini M. plebani in L. peten. copiam, & terminum ad deliberandum, aliàs ad dicendum contra, & dominus pfixit terminum ad octauam diem. Præsentibus.

¶ *Exceptiones verbales.*

NOTARIVS Scribit. Die Mercurij. vndecima Mensis. &c. V. de C. pcurator discreti d. M. de P. plebani in L. excepit generaliter verbo contra libellum reconuentionalem pro parte domini S. plebani in N. iudicialiter pductum: dicens ipsum de iure inadmissibilem tanquàm impertinētem. &c. Ex aduerso A. de D. procuratore domini S. replican. verbo. Et hincinde peten. interloqui, dominus ad primam diem iuridicam pfixit terminum ad interloquendum. Præsentib.

¶ *De mutuis petitionibus.*

DICTVM Est supra folio xxviij. vbi notauimus de libello reconuentionali.

¶ *De interlocutoria verbali.*

NOTARIVS. Die Lunę x. Mensis. &c. A. de D. plebani in N. & V. de C. plebani in L. pcuratoribus peten. interloqui super libello reconuentionali, & exceptionibus verbalibus contra dictum libellum reconuentionalem, dominus non obstantibus exceptionibus p parte M. de P. plebani in L. & ipsis repulsis, admisit libellum, & pcuratoribus pdictis ad respondendum hincinde libellis terminum ad octauam diem

ad. sq. pr

diem præfixit,& aſſignauit. Præſentibus.

¶ Reſponſiones ad libellos.

NOTARIVS. Die Lune xvj. Menſis.&c. A.de D. ꝓcurator plebani in N. ad conuentionalem, & V.de C. plebani in L.ad reconuentionalem libellos ſuper decimis ꝓductos, reſponderunt hincinde,negantes natrata,ꝓut narrantur fore vera, & peteñ. petita fieri non debere animo litem conteſtandi. In ſuis verò libellis, quilibet ipſorum diceñ. narrata fore vera,& petita fieri debere. Et hincinde D. ꝓcuratoribus terminum ad ponendum,& articulandum dominus ad duodecimum diem præfixit. Præſentibus.

¶ Nota quòd ad articulandum Romana curia xij. dies præfigere conſueuit, & iſte terminus eſt eſſentialis verum apud nos arbitrio iudicis relinquitur.

¶ Articuli pro parte actoris.

POSITIONES Et articulos infraſcriptos, procurator, & nomine procuratorio diſcreti domini M. rectoris eccleſię parochialis in L. dat, facit,exhibet, & producit, coniunctim, & diuiſim, narratiuè, & diſpoſitiuè, petens eiſdē per partem aduerſam medio ſuo iuramēto reſponderi,qui ſi negati fuerint, petit ſe,& ſuam partem ad probandum admitti.

1 ¶ In primis igitur ponit, & ſi negatum fuerit probare intendit quòd à x. xx. xxx.xl. citra,vel vltra annis, ac à tali tempore,& per tantum tempus cuius initij, & contrarij memoria hominum non exiſtit quòd in regno Poloniæ, & in diœceſi Cracoui.fuit, & eſt eſſeq; conſueuit, & hodie eſt Eccleſia parochialis communiter nominata,& appellata ſancti I.in L. habens campanas, campanile,cęmeterium pro tumulandis, & ſepellendis corporibus parochianorum ſuorū,fontem baptiſmalem,cæteraque inſignia Eccleſiā parochialem repreſentantia,parochiam amplam,& latam,limitatam, & ſeparatam ab alijs parochijs circumiacentibus. Et ſic fuit, & eſt verum,tentum,habitum,creditum,reputatum.&c.

2 ¶ Item ponit,vt ſupra,quò à temporibus ſupra deſcriptis,

in proximo articulo,in parochia,& in parochiam prædictæ Ecclesiæ parochialis in L. præter alias villas eiusdem parochiæ,fuit & est esseque consueuit,& nunc est quædam villa G.communiter nuncupata,inhabitata,per homines vtriusq; sexus,hominesque,& incolæ omnes,& singuli eiusdem villæ C.tam nobilis A.hæres in ibidem cùm sua curia quàm etiam scultetus ,& incolæ,ac cmethones villæ prædictæ pceperunt,& percipiunt ecclesiastica sacramenta,tam voluntaria quàm necessaria, à rectore prædictæ Ecclesiæ in L.& suis vicarijs à temporibus supra descriptis. Quod sic fuit, & est verum.

3 ¶ Item ponit vt supra,quod à x. xx. &c.centum citra, & vltra annis,ac à tali tempore,& per tantum tempus cuius initij,& contrarij memoria hominum non existit,omnes & singulæ decimæ manipulares,& campestres diuersi grani,& seminis,videlicet tritici,siligi nis,auenæ.&c cæterorumq; fructuum post omnes,& singulos agros,& araturas, tam prædiales nobilis A.prædicti quam omnium, & singulorum incolarum,sculteti,& cmethonum,in villa pdicta communiter nominata,& vocata G.dictę parochiæ,in L.ad pdecessores pfati domini M. & Ecclesiam suam in L.pdictam , per tempora supra descripta,ac à temporibus supra descriptis ptinuerũt, & spectauerunt ptinereque,& spectare consueuerunt,& hodie ptinent,& spectant,fueruntque nonnulli pdecessores pfati domini M.in pacifica, & quieta possessione iuris pcipień. tolleń. leuań.habeń. pdictas decimas,tuleruntque , & leuauerunt,ac in vsus pprios conuerterunt iuxta placitum ipsorum . Quod sic fuit &c.

4 ¶ Item ponit vt supra quod communis hominum opinio & credulitas,& vera reputatio fuit & est, quòd omnes & singulæ decimę pdictæ,tam post araturas pfati nobilis A.quam omnium,& singulorum incolarum,sculteti, & cmethonum, in villa pdicta G.excresceń.ptinuerunt,& spectarunt ad pdecessores pfati domini M. & Ecclesiam suam in L.à temporibus supra in pximo articulo descriptis, rectorque pro tempore existens & Ecclesia prędicta fuit in possessione pacifica prędictarum decimarum , ante Mensem . August. Anno domini &c.

5 ¶ Item

5 ¶ Item ponit quòd temporibus supra descriptis in articu lo proximo, p̄dictus dominus S. iuri vero & optimo p̄fati domini M & Ecclesię sue quod sibi cōpetit in decimis p̄dictis, se opposuit, & opponit, contradixit, & contradicit, ac prædecessores suos, ac Ecclesiam ab Anno domini. &c. die decimo Mensis Augu. de prædictis decimis, in prędicta villa G. spoliauit, & ad ipsas se intrusit, & est intrusus in easdem, occupauitque ipsas propria temeritate, & occupat, detinuit, & detinet spoliatas vsque ad præsens tempus, videlicet Annum domini, &c. Quod sic fuit. &c.

6 ¶ Item ponit vt supra, quòd decimæ, siue fructus decimarum prædictarum spoliatarum, secundùm communem hominum reputationem, valuerunt, & valere potuerunt xx. marcas quolibet anno à tempore spoliationis, si venditioni exponerentur. Quod sic fuit.

7 ¶ Item ponit quòd de omnibus præmissis fuit & est publica vox, & fama.

¶ *Articuli super reconuentionali Libello.*

POSITIONES Et articulos infrascriptos, procurator, & nomine procuratorio discreti domini S. rectoris Ecclesiæ parochialis in N. diœcesis Cracoui. dat, facit, exhibet, & producit, coniunctim, & diuisim narratiuè, & dispositiuè, petens eisdem per partem aduersam medio suo iuramento responderi, quos si negati fuerint probare intēdit, non astringēs per hoc se, nec suam partem ad aliquod onus superfluę probationis, sed duntaxat ad ea probanda, quæ pro intentione sua, & victoria præsentis causę obtinenda sufficere videantur, de quo solenniter protestatur.

1 ¶ In primis igitur ponit, & si negatum fuerit, probare intendit quòd à x. xxx. lx. &c. & citra, & vltra annis, ac à tali tempore, & per tantùm tempus cuius initij, & contrarij memoria hominum non existit omnes decimę manipulares, & cāpestres diuersi grani, seu seminis, videlicet tritici, pisi, &c. cęterarumque frugum post omnes & singulos agros, & araturas, tam prædiales nobilis A quàm omnium & singulorū, incolarum, sculteti, & cmethonum in villa G excrescen.

diœcesis Craco. ad prædecessores præfati domini S. & suam Ecclesiam pertinuerunt, & spectauerunt, & hodie pertinent, & spectant. Quod. &c.

2 ¶ Item ponit vt supra, quod omnes prædecessores præfati domini S. & Ecclesia sua fuerunt in pacifica, & quieta possessione dictarum decimarum à temporibus supra descriptis inconcussè, & inuiolabiliter absque interruptione aliqua, ac prefatus dominus S. à temporibus quibus cœpit esse plebanus, semper & absq; alicuius contradictione, saluo impedimento præsenti, fuit in quieta, & pacifica possessione dictarum decimarum à temporibus supra descriptis, toleñ. leuañ. decimañ. & in vsus proprios iuxta placitũ cõuerteñ. Qđ.

3 ¶ Item ponit vt supra, quòd prędictus dominus M. rector Ecclesiæ parochialis in L. prędictæ diœcesis Craco. nescitur quo ductus spiritu, aut qua temeritate inflatus (loquendo absque omni iniuria) perturbauit, & molestauit, perturbat, & molestat, prędictum dominum S. & Ecclesiam suam in possessione prędictarum decimarum, opposuitque se, & opponit prefato domino S. quominus prę nominatus dominus S. & Ecclesia sua possit, & valeat gaudere pacifica, & quieta possessione prædictarum decimarum, in periculum animæ suę, & in pręiudicium non modicum, & grauamen ipsius domini S. & suę Ecclesię. Et sic. &c.

4 ¶ Item ponit quòd de omnibus præmissis publica vox est & fama.

¶ *Oblata.*

NOTARIVS Die Veneris. &c. V. de C. ipsius M. plebani in L. & A de B. ipsius S. plebani in N. procuratores, hincinde oblatis positionibus, & articulis in causa decimarum villę G. petiuerunt copias, & terminum ad dicendum contra, aliàs ad respondendum. Et dominus ad viij diem pręfixit. Pręsentibus.

¶ *Exceptiones verbales.*

NOTARIVS. Die Mercurij. &c A. de D. ipsius S. de G. plebani in N. & V. de C ipsius M. plebani in L. procuratores hincinde verbo generaliter exceperunt alter contra alterius

articulos,dicentes ipsos de iure inadmissibiles tanquàm nō procedeñ.ex libellis non bene specificañ & aliàs negatiuos, peteñ.hincinde interloqui Et dominus ad primam diem terminum prętex.Pręsentibus.

¶ *Interlocutoria verbo.*

NOTARIVS In actis scribit.Die Veneris xx &c. V. de C.ipsius M. de P.plebani in L.& A.de D. ipsius S.de G.plebani in N. procuratoribus peteñ.interloqui super exceptionibus ad articulos verbo factis,dominus interlocutus est verbo,admittendo hincinde articulos,& terminum ad octauam diem ad respondendum pręfixit.Pręsentibus.

¶ *Responsiones pro parte. S.*

RESPONSIONES Infrascriptas ad positiones, & articulos pro parte discreti S. plebani in N.oblat.& product pro curator discreti domini M. plebani in L.dat,facit,exhibet,& producit in forma, vt sequitur.Salua protestatione quòd si alicui articulorum responderit cui de iure respondere non debeat,vult habere pro non responso.

¶ Et primò ad primam, & secundam positiones responden. non credit ipsas esse veras. Item ad tertiam credit quòd Dominus M.opposuit se pro iure suo,& Ecclesię suę,& non aliter, nec alio modo credit. Item ad quartam, & vltimam, non credit esse veram.

¶ Solet etiam sub alia forma responderi sic. Salua ineptitudine, & impertinentia non admittendarum. Procurator,& nomine procuratorio ipsius M. de P.plebani in L. ad positiones, & articulos ipsius S.plebani in N. respondet sub hac forma.&c.vt supra.

¶ Sub simili forma posset altera pars respondere, in scriptis positionibus, & articulis aduersę partis secundùm materię exigentiam. Et oblatis responsionibus pro vtraque parte,vel pro vna tantùm. Notarius scribit.

¶ *Oblata.*

DIE Martis xx. mensis. &c. V. de C. procurator ipsius M. plebani in L. oblatis responsionibus ad articulos, ipsius S. plebani in N. in scriptis accusauit contumaciam ipsius A. de D. procuratoris dicti S. non respon. suis articulis & in termino nil facientis, dicto verò A. peten. copiam & terminum ad dicendum contra, dominus ad octauam diem statuit. Et statim incontinenti ad positiones & articulos ipsius M. respondit verbo sic. Primum & secundum articulos credo esse veros. Ad alios autem omnes sequentes responden. dixit quod non credit eos esse veros.

¶ Solet & sic sub alia forma notari responsio A. procurator respondendo ad positiones & articulos pro parte M. plebani in L. oblatos. Ad j. & ij. positiones respondendo credit, ipsas esse veras. Alias autem sequen. omnes non credit.

¶ *Respondetur libello.*

NOTA Quòd si à principio produxisti libellum articulatum, ad illum eodem modo responderi debet sicut ad libellum summarium, & facta responsione, debet peti terminus ad ponendum & articulandum, quo veniente, is qui produxit libellum articulatum, debet reproducere libellum loco articulorum verbo, sic. Venerabilis domine in causa tali reproduco verbo libellum articulatum, aliàs per me productum loco articulorum. Et hoc facto is qui debet respondere, petat terminum sibi dari ad respondendum. Et in termino respondeat sub forma præmissa tanquam ad articulos seorsum productos, ex libello simplici, non arriculato procedentes.

¶ *Exceptiones verbales contra responsiones.*

NOTARIVS. Die Lunæ x. mensis. &c. A. de D. ipsius S. plebani in N. & V. de C. ipsius M. plebani in L. procuratoribus hincinde verbo excipientibus generaliter alter contra

tra alterius responsiones, dixerunt sufficienter fuisse responsum ad articulos, referendo se ad eosdem. Et peten. interloqui, dominus ad primam diem iuridicam, terminum ad interloquendum præfixit. Præsentibus. &c.

¶ *Interlocutoria super præmissis.*

NOTARIUS Die Mercurij. ix. mensis, &c. V. de C. ipsius M. plebani in L. & A. de D. ipsius S. plebani in N. pro curatoribus peten. interloqui super ipsorum exceptionibus contra responsiones & articulos, dominus verbo interlocutus est, admittendo & approbando responsiones. Et pro prima dilatione præfixit terminũ ad octauam hincinde ad probandum. Præsentibus.

¶ *Citatio contra testes.*

THO RO. Cano. & offi. generalis Cracoui. prouidis & discretis viris Vicarijs in L. alijsq; præsentibus requiren. salutem in domino. Vobis in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis pœna mandamus, quatenus ad instantiam discreti M. plebani in L. personaliter accedentis nobiles H. & F. hæredes in G. testes ad perhibendum testimonium veritati in causa decimarum inter præfatũ M. ex vna & discretum S. plebanum in N. partibus ex altera coram nobis verten. & mota. Et nihilominus personaliter acceden. dictum S. ad viden. & audien. huiusmodi testes induci, iurari, & ad examen admitti vno edicto pro tribus peremptoriè citetis, quos & nos præsentibus citamus, terminum ipsis coram nobis Craco. feria sexta post festum sancti S. proxima hora tertiarum peremptoriè assignan. Datum Craco. &c.

¶ *Forma iuramenti testium.*

EGO N. iuro dicere totam veritatem in causa vertente inter M. & S. litigan. pro vtraque parte mihi cognitam. Et hanc veritatem non celabo, amicitiæ, odij, vel timoris, aut alicuius muneris dati, promissi, vel remissi, sed etiam dicam so

lius iustitiæ & veritatis gratia, nullamq; intermiscebo falsitatem. Sic me deus adiuuet & eius sanctum Euangelium. Et hoc si iurat clericus. Si autem laicus, post præfatum iuramentum addat. Sic me deus adiuuet & eius sancta passio seu crux.

¶ *Inductio testium.*

NOTARIVS Die Iouis xx. mensis. &c. V. de C. ipsius M. & A. de D ipsius S. Procuratores oblatis citationibus legitimè executis, testes videlicet. A. de G. & P. de N. pro parte plebani in L. & B. de K. & P. de F. pro parte S. pro prima dilatione produxerunt. Et dominus receptis iuramentis, cõmisit mihi P. notario examen eorundem, procuratoribus prædictis protestan. de excipien. contra testes & dicta ipsorum, & quod non examinarentur, nisi secundùm interrogatoria per ipsos danda, quæ dominus statim post prandiũ facit dari, aliàs iussit testes examinare in contumaciam non dan. Præsentibus &c.

¶ *Interrogatoria.*

INTERROGATORIA infrascripta procurator & nomine procuratorio discreti domini S. plebani in N. dat, facit exhibet, & producit, secundùm quæ & quodlibet ipsorum petit testes partis aduersæ examinari, qui si secundùm ipsam & quodlibet ipsorum nõ fuerint examinati, vult habere pro non examinatis. De quo solenniter protestatur.

¶ Et primò notarius recepto quolibet teste seorsum ad locum secretum, reducat sibi iuramentum ad memoriam per ipsum præstitum de veritate dicenda in tali causa pro vtraque parte. Item exponat sibi quomodo falsidicus testis. &c. Item inquiratur cuius status aut conditionis sit, vtrum nobilis vel subditus siue cmethon. Et si dixerit, quia subditus, inquiratur cuius. Item inquiratur vtrum scit Pater noster. Aue maria. Credo. Vtrum scit villam G vulgariter nominatam. Et si dixerit quod sic inquiratur in quo districtu est, & in quo loco, & in qua parochia. Item si scit quis percipiebat decimam à xl. annis de prædicta villa G. Et si dixerit quòd plebanus pro tempore existés in N. inquiratur quo iure

iure percipiebat. Et si dixerit quod sibi non constat de iure, inquiratur per quem modum venit ad possessionem prędicta rum decimarum. Et si scit quis plebanorum habuit primus possessionem prædictarum. Et omnia fideliter conscribat quæcunque testis dixerit.

¶ Expeditis generalibus, veniens ad articulos, omisso primo tanquam generali, procedendo ad secundum & sequen. omnes. si testis interrogatus dixerit ita esse, vt in articulo cō tinetur, inquiratur de causis scientiæ & alijs circumstantijs ad hoc requisitis. Si autem testis dixerit sibi nihil constare de contentis in articulo, amplius non interrogetur ne reddatur periurus. Cætera committuntur vestræ discretioni domine notari.

¶ Eodem modo procurator actoris debet dare interrogatoria secundùm quæ testes rei debent examinari, & interrogatoria actoris possunt depingi in forma præmissa mutatis mutandis.

¶ *Examen testium actoris.*

NOTARIVS Examinans scribit. Sub anno dñi. &c. die mensis talis, testes infrascripti pro parte M plebani in L. citati & iurati, per P. notarium sunt examinati prout sequitur.

¶ Primus testis nobilis A. de G. villa communiter nominata, de parochia ecclesiæ parochialis in L. ætatis prope. l. annorum, citatus, iuratus, & secundùm interrogatoria examinatus, reducto sibi ad memoriam iuramento per ipsum præstito de dicenda veritate pro vtraque parte, & exposito sibi quomodo falsidicus testis &c. Scit Pater noster. Aue maria Credo. vt supra. Omisso primo articulo tāquam per partem aduersam admisso & concesso venien. ad secundum, dicto testi vulgarizatum & expositū de verbo ad verbū, dixit ipsum esse verum, causam sciētiæ reddens, quia in eadem villa est genitus & pater suus sepultus, & semper pertinuerunt & spectauerunt ad ecclesiā parochialem in L. & ibi est baptizatus, & pater suus & sui predecessores qui in eadem villa manebant, & ibidem cum curia sua semper confitetur & cōmunicat ad festum paschæ, & omnes cmethenos eiusdem villæ.

Neç

Nec alium habuerunt pro plebano suæ memoriæ, nisi plebanum in L pro tempore existentem, & ita etiã audiuit à pluribus, videlicet patre, matre, auo, nec aliter credit.

¶ Item ad tertium & quartum articulos tanquam condependentes, sibi vulgarizatos & expositos, interrogatus dixit ipsos esse veros, & sic audiuit à suis prædecessoribus, patre & auo, quòd decimæ pertinebant ad Ecclesiam prædictam in L. & quod quidam prædecessores plebani moderni, recipiebant ipsas, sed annum, diem & mensem nõ recordatur, quia à temporibus iuuẽtutis fuit in Vngaria in seruitijs & ibi creuit. Sed postquàm de Vngaria venit, pro plebano in N. recipiebantur. Interrogatus quo iure recipiebantur, dixit sibi non constare de iure & titulo.

¶ Item super quinto articulo sibi vulgarizato, interrogatus, dixit, sibi non constare vtrum opponit se iuri ipsius M. plebani in C. quia de iure suo sibi non constat.

¶ Item super sexto sibi vulgarizato dixit, quod aliquando vendebatur pro xx. aliquando pro xvj. aliquando pro xviij. secundùm exigentiam annorum, & diligentiam decimatorum.

¶ Item super articulo vltimo de fama interrogatus, dixit fuisse, & esse famam publicam de depositis per ipsum.

¶ *Secundus Testis.*

SECVNDVS Testis nobilis P. hæres de N. xl. annorum citatus, iuratus, reducto sibi iuramento ad memoriam de veritate dicenda, & exposito sibi quomodo falsidicus testis. &c. Scit Pater noster. &c. Communicauit de anno præsenti ad festum Paschæ, non excommunicatus, nullius partis consanguineus, amicus vtriusque, non deponit causa inimicitiæ, fauoris vel odij, sed purè propter Deum, fauet de victoria habenti iustitiam, non est informatus per producentem qualiter debeat testificari, non condictauit cum suis contestibus de vnanimi testimonio, nec aliquid est sibi datum, aut promissum pro testimonio ferendo.

¶ Veniendo ad articulos, omisso primo tanquam per aduersarium credito & confesso, super secundo articulo, qui incipit.

incipit.Item ponit,quòd à temporibus ſupra deſcriptis,&c. ſibi vulgarizato,interrogatus,dixit,ipſum eſſe verum in toto. Quia in eadem parochia natus eſt, & in eadem villa N. quæ eſt in qua tali vnius miliaris, ab Eccleſia parochiali in L.Et homines vtriuſque ſexus, à temporibus ſuæ memoriæ ibidem à plebanis pro tempore exiſtentibus in L. percipiebant,& percipiunt ſacramenta Eccleſiaſtica, & paruuli ipſorum baptizantur, & adulti habentes annos diſcretionis con fitentur & communicant,& infirmi à vicarijs cum ſacramen tis viſitantur & procurantur.

¶ Super tertio & quarto articulis tanquam condependen tibus,ſibi vulgarizatis dixit eſſe veros, cauſam ſcientiæ reddens, quia recordatur quod decimæ totius villæ prædictæ, de qua in articulis,pertinebant ad Eccleſiam in L.iure communi & parochiali Et plebani fuerunt in poſſeſſione. Et ſignanter quidam P. plebanus qui ipſam patri ſuo bina vice vendiderat pro xx.marchis.Sed poſt mortem ipſius,archidia conus Lub.eas impetrauerat, impetrataſq; occupauerat, & ſuper eiſdem cum quodam B.plebano in L.ſucceſſore præfati P.per multos annos litigabat.Et ipſis litigãtibus dictã de cimam quidam plebanus in N.cuius nomen ignorat, recipie bat pro impetrante, quo mortuo in curia Romana,pro ſe vſ que ad mortèm eaſdem decimas recipiebat. Nam præfatus B. collitigans ipſius impetrantis præmortui, in redeundo de curia Romana,fuit captiuatus in Auſtria, & per multos annos tentus & impeditus.Et poſtea cum fuit liberatus de carcere, infirmitatibus pedum laborando per multos annos, mortuus eſt multis debitis inuolutus, quæ contraxit multa exponendo ad medicos & medicinas volens recuperare ſanitatem Annum, menſem & diem, prout in dictis articulis deducit de poſſeſſione & ſpoliatione,dixit ſe non recordare.

¶ Item ſuper articulo ſexto qui ſic incipit. Item ponit,vt ſupra quod decimæ ſiue fructus. &c. ſibi vulgarizato interrogatus dixit(vt credit)poſſe in articulis fieri verum, non tamen annis ſingulis.Quia annis fertilibus vix ſolueretur duodecim marchis.

¶ Item ad articulum vltimum de fama interrogatus,dixit fuiſſe, & eſſe famam publicam de depoſitis per ipſum.

¶ *Alij*

¶ *Alij Testes.*

ITEM Ponatur causa breuitatis, quòd alij testes inducendi & inducti vario modo deponant, quò ad articulos de possessione. Vt quidam dicant se audiuisset, quòd plebani fuerunt in possessione. Alij dicant fuisse in possessione, sed tempus non recordari. Et tertij dicant sibi nil constare.

¶ *Examen Testium rei.*

SVB Anno Domini. &c. testes infrascripti pro parte plebani in N. videlicet B. de K. P. de F. citati & iurati, sunt per me notarium de mandato domini examinati, prout in forma.

¶ Primus testis B. de K. chmeto, citatus, iuratus. &c. vt supra. Veniendo ad articulos. Et primò ad primum, qui sic incipit. In primis igitur. &c. & secundum condependentem, sibi vulgarizatos & expositos, de verbo ad verbum dixit ipsos esse veros. Causam scientiæ reddens, quia à xj. annis & vltra recordatur quod prædicta decima in villa G. pertinebat ad Ecclesiam parochialem in N. & rectores eiusdem fuerunt in possessione prædictarum decimarum prædialium & ipsas decimabant, colligebant, & vendebant, in vsus proprios conuertendo. Et nouit duos plebanos scilicet. P. & B. qui ipsas colligebant & vendebant.

¶ Item ad tertium articulum, qui incipit. Item ponit, vt supra, quòd prædictus dominus M. &c. sibi vulgarizatum & expositum, interrogatus dixit ipsum esse verum, prout sibi apparebat quòd iniuste ipsum molestaret, & opponeret se, subiungens quòd non constaret sibi, quòd aliquando plebani in L. habuissent ius ad prædictas decimas, nec credit aliquando fuisse in possessione, à temporibus suæ memoriæ.

¶ Item ad vltimum de fama, interrogatus dixit fuisse, & esse famam publicam, apud omnes homines, & vicinos dictæ parochiæ, nec aliter credit.

¶ *Alij Testes.*

PONATVR Casus quòd omnes alij testes inducti con-

formiter

formiter deponerent ſicut primus, quorum etiam dicta, ſeu atteſtationes conſcriberētur, de verbo ad verbum. Vt autem melior ſit informatio iudicis pro ſententia ferenda, ponatur adhuc vnus actus pro ſecunda dilatione. Teſtibus itaq; citatis inductis, notarius ſcribat.

¶ *Teſtes pro ſecunda dilatione ipſius rei.*

Die Lunæ decima menſis. &c. A. de D. procurator domini S. plebani in N. oblata citatione legitimè executa, pro parte dicti plebani in N. produxit teſtes infraſcriptos pro ſecunda dilatione citato V. procuratore plebani in L. ad videndum, & audiendum induci, iurari & admitti teſtes infraſcriptos videlicet P. de B. & F. de H. & dominus receptis iuramētis, commiſit mihi P. notario examen dictorum teſtium, præfato V procuratore dicti plebani in L. proteſtante, de excipiendo contra perſonas teſtium, & dicta ipſorum, & quòd non examinarentur, niſi ſecundùm interrogatoria per ipſum data.

¶ *Examen teſtium.*

Anno Domini. &c. vt ſupra.

¶ Primus teſtis P de B. ætatis xl. annorum citatus, & iuratus, & ſecundùm interrogatoria examinatus &c. Expoſito ſibi quomodo falſidicus teſtis. &c. Scit Pater noſter. Habens in bonis xl. marcas. &c. vt ſupra. Expeditis generalibus, veniendo ad articulos, & primò ad primū, & ſecundum condependentem ſibi vulgariter expoſitum, interrogatus dixit, quòd à temporibus à quibus recordatur ſemper decimæ, in articulo deſcriptæ, pertinebant ad Eccleſiam parochialem in N. Interrogatus quo iure pertinebant, dixit ſibi non conſtare, ſed recordatur à xl. annis, quòd prædeceſſores domini S. quorum duos recordatur videlicet E. & B. fuerunt in poſſeſſione prædictarum decimarum, ipſas vendentes, & pro libito ipſorum in vſus ſuos conuertendo, & dictus S. modernus plebanus ſimiliter in poſſeſſione ipſarum fuit quieta, nec recordatur quòd aliquis prædeceſſores ſuos, ac ipſum domi

num

num S.impediuisset, excepto domino M.moderno plebano in L.qui ipsum traxit in causam præsentem.

¶ Item ad tertium articulum, qui incipit. Item ponit, vt supra, sibi vulgarizatum interrogatus dixit, ipsum esse verũ, prout sibi apparet, quòd iniustè dictus dominus S.molestatur per præfatum M.ex quo nullum ius competit sibi.

¶ Ad vltimum de fama, sibi vulgarizatum & expositum, interrogatus dixit, publicam vocem & famam esse super omnibus per ipsum depositis.

¶ *Alij Testes.*

PONATVR Casus quòd alij omnes in toto conformiter deponant, prout iste immediatè præcedens deposuit.

¶ *Testes pro secunda dilatione ipsius actoris.*

NOTARIVS. Die Veneris secunda mensis. &c. V. de C.procurator M.plebani in L.citato A. procuratore plebani in N.ad videndum testes induci, iurari, & admitti, oblataque citatione legitimè executa, testes infrascriptos pro parte dicti M.pro secunda dilatione produxit videlicet A.& B.&c.petendo eos ad iuramentum & ad examen admitti. Et dominus receptis iuramentis à testibus, mihi P. notario examen eorundem commisit A. procuratore S. plebani in N. protestante de excipiendo contra testes, & dicta ipsorum, quodq; non examinarentur, nisi iuxta interrogatoria.&c.

¶ Ponatur autem amore breuitatis, vt ij testes conformiter primis deponant, vel vtcunque contingat.

¶ *Publicatio Testium.*

DIE Tali, mensis talis.&c. V. de C.plebani in L. & A.de D.plebani in N. procuratoribus petentis publicari dicta testium, dominus publicatis attestationibus, decreuit copias petendi, & terminum ad dicendum contra ad diem decimum præfixit. Præsentibus.

¶ *Exceptio-*

Exceptiones contra dicta testium.

CONTRA Quosdam pretensos testes, & dicta ipsorum pro parte discreti M. de P. plebani in L. & contra discretum S. de G. plebanum in N. productos procurator & nomine procuratorio præfati domini S. protestatur, quòd si aliqua sunt, aut contineantur in dictis prætensis attestationibus seu dictis testium, quæ faciant aut facere videantur pro parte sua, & contra partem aduersam, illa in ea parte impugnare non intendit, nec impugnat, sed approbat, & admittit saltem per modum tacitæ admissionis, & approbationis. Inquantùm verò faciunt, aut facere videantur pro parte aduersa & contra suam partem, ex tunc dictus procurator excipit, opponit, arguit, & excipiendo dicit, quòd dicti prætensi testes sunt friuoli, inepti, & inefficaces, in tantùm quòd ipsis fides non est adhibenda in iudicio & extra, & aliàs sunt tales quòd non nocent parti contra quam nec releuant partẽ pro qua producuntur, cum in testimonijs ipsorum sint singulares diuersi, & aduersi sibimetipsis & suis contestibus contrarij & contradicentes. Et breuiter dicendo, sunt tales quòd ipsis non obstantibus, vos venerabilis domine potestis, & de iure debetis sententiam diffinitiuam pro parte dicti S. & suæ Ecclesiæ in N. contra prædictum M. & suam Ecclesiam pronunciare & ferre iustè & sanctè, prout ex infra deductis clarius apparebit.

1 ¶ Et primò prædicti testes sunt inualidi, & penitus nil facientes, quia secundùm interrogatoria pro parte dicti S. data nõ sunt examinati, prout dictus procurator refert se ad prædicta sua interrogatoria & quodlibet ipsorum.

2 ¶ Item pro, & ex eo prædicti prætensi testes sunt inualidi, & nulli, ita quòd eis nulla est adhibenda fides, quia non sunt examinati ieiuni. Et sic eorum testimonium non valet, vt habetur in capitulo primo. de testibus, & attestationibus. circa finem.

3 ¶ Item pro & ex eo prædicti prætensi testes sunt inualidi, & non faciunt aliquam fidem, nec etiam præsumptionem, quia sunt singulares, diuersi & aduersi in suis testimonijs.

Et

Et hoc si deducitur. Nam primus testis nobilis A. de G examinatus, ad tertium & ad quartum articulos, primò dixit articulos posse esse veros, ex post tamẽ ad tertium dixit, quòd plebani in L. pro tempore existen. recipiebant decimam ad ecclesiam illam. Et hoc dixit sibi constare. Et sic primò dubium deposuit & secundò certum ad idem respondit. Talis autem contrarius est sibijpsi, cum articuli sint condependen. Item super quinto examinatus dixit sibi non constare de iure plebani in L. in hoc iterum contrarius sibijipsi vt supra.

¶ Secundus etiam testis nobilis P. de N. In tertio & quarto articulis examinatus, dixit ipsos simpliciter veros cum causis scientiæ. Et iste est singularis & vnicus in suo testimonio. Suum etiam testimonium quò ad quintum articulum vacillat, quia dixit articulum posse esse verum, & sic dubitat vtrum dominus S. opposuit se iuri domini M. & ecclesiæ suæ in L. cum de iure eiusdem ecclesiæ quò ad decimas sibi non constat, & sic sibijpsi est cõtrarius, diuersus & aduersus, quia prius ad prædictos articulos iij iiij de pertinentia & possessione decimarum ad prædictam ecclesiam in L. responden. dixit ipsos veros, super quinto autem examinatus dixit sibi de iure non constare. Cum itaque sit & singularis & sibijpsi contrarius, diuersus & aduersus suis contestibus eius testimonium non est validum vt habetur c. licet. §. quãquam. de proba. iij. q. ix. nihilominus. iiij. q iij. qui falso. de ap. solicitudinem. xxiij. q. vij. quod autem. de ele. bonę. j. & de accu. cum dilectus.

4 ¶ Tertius testis N. de P. & quartus E. de F. quantum ad tertium & quartum articulum examinati, licet videatur aliquid facere, sunt tamen famę malę, & leuis opinionis, propter quod eorum dictis nulla vel modica fides est adhibenda. vt in ce. supra al. cum alijs quamplurimis iuris concor. ibidem circa glo. annotatis.

5 ¶ P. de R. & A. de B. examinati & iurati ad tertium & quartum articulos licet videantur aliquid facere, non tamẽ in rei veritate aliquid faciunt, quia nec sunt citati nec iurati nec de singulis circumstantiis innterrogati secundùm quę debebant examinari. Huiusmodi autem testes non valent

vt habetur de testi. & atte. c. cum causam. & xxiij. q viij. occidit, cum alijs quampluribus iuris concordantijs super hac materia concordan.

¶ Testes autem pro parte præfati domini S. producti optime deposuerunt pro ipso in petitorio & possessorio proban. præscriptionem legitimam. xl. annorum absque aliqua interruptione, prout dictus procurator refert se ad depositiones & dicta ipsorum. Et cum hoc sunt absque omni suspitione & omni acceptione maiores, Et breuiter dicendo, omnes conditiones correquisitę ad sufficiens testimonium & ad hoc vt testibus credatur dictis testibus competunt.

¶ Ex præmissis igitur & quolibet præmissorum petit dictus procurator nomine quo supra procuratorio per vos venerabilis domine & vestram sententiam diffinitiuam dici, pronunciari, decerni & declarari, non obstantibus dictis prę tensis & friuolis testium probationibus pro parte discreti M. plebani in L. productis, præfatum dominum S. ab impetitione præfati M. absoluendum fore & absolui, sibiq; super vlterioribus impedimentis, oppositionibus & contradictionibus perpetuum silentium imponen. fore & imponi iustitia mediante, vestrum benignum officium ad hoc humiliter im ploran. Has exceptiones. &c. vt supra.

Oblata.

NOTARIVS. Die tali. &c. A. de D. procurator discreti S. plebani in N. produxit quasdam exceptiones in scriptis contra testes seu dicta testium pro parte M plebani in L. pro ductorum, accusan. contumaciam productoris dicti M. nil facien in termino, ex aduerso V. de C. procuratore præfati M. peten. copiam & terminum ad dicendum contra, aliàs ad replican. dominus ad octauam diem præfixit. Præsentibus. &c.

¶ *Simile in actore.*

NOTANDVM quòd sicut reus contra testes actoris excipit & excipere potest, ita etiam actor contra testes & atte-

ſtationes ſeu dicta teſtium pro parte rei productorum excipere poterit, cum ad imparia non iudicantur, & quod licet actori, licet & reo. vt habetur de reg iur. non licet. l. vj. Cauſa tamen breuitatis exceptiones actoris omittuntur. Nam ſub eadem forma actor poteſt excipere, ſub qua exceptiones rei præmiſſæ ſunt. Et poſtea vnus contra alterius exceptiones replicarent, proceden. ſi voluerint ad duplicationes, triplicationes, quadruplicationes de quibus ſupra.

¶ *Cautela.*

HIC Nota, poſtquam induxeris teſtes, & poſt eorum depoſitiones, non curat pars aduerſa, petere publicari dicta eorum, nec copias habere atteſtationum, vel reprobare dicta eorum. Tu procura citari partem ad videndum in cauſa concludi & ſententiam ferri, vel ſaltem concludi. Quia ſic aduerſarij negligentiam vel cauſæ protellationem poteris excludere.

¶ *Tenor replicationum.*

CONTRA Quandam prætenſam cartam loco exceptionum contra atteſtationes & dicta teſtium pro parte domini M. de P. plebani in L. & contra diſcretum S. de G. plebanũ in N. nuper in iudicium veſtrum oblatam, procurator & nomine procuratorio diſcreti Domini M. plebani in L. ante omnia proteſtatur, quòd ſi quæ exceptiones ſint aut contineantur in dicta prætenſa carta, quæ faciant aut facere poſſint pro parte præfati domini M. & contra partẽ aduerſam, illa in ea parte non impugnat nec impugnare intendit, ſed admittit & approbat ſaltem per modum tacitę admiſſionis. Inquantum verò faciunt aut facere videntur pro parte aduerſa & contra ſuam partem, dictus procurator replicat, opponit & replicando dicit, quòd dicta prætenſa carta cum contentis in ea eſt de iure inadmiſſibilis, tanquam ineſſicacem inutilemq; cauillationem in ſe continens, prout dictus procurator refert ſe ad dictam prætenſam cartam. Et aliàs eſt talis quod ipſa non obſtante, vos venerabilis domine iudex

dex potestis & de iure debetis procedere ad sententiam ferendā pro parte domini M. & Ecclesiæ suæ, & contra dictū S. & suam Ecclesiam in N. cùm ius commune interpellat pro ipso domino M. & sua Ecclesia in L. Nec obstat præscriptio pro parte aduersa sine iusto titulo deducta,& quæ vt apparet prima facie, videtur probare: cum in rei veritate attentis omnibus vtrobique factis non sit probata. Præscriptio enim sine iusto titulo aduersus habentem ius commune pro se, non releuat: cum præscriptio ius creatum aduocat, nouum autem non creat, vt xciij. dist. illud. Quod autem præscriptio sine titulo non præiudicet ius commune habenti pro se, habetur de præscriptione cap. si diligenti, in gloss. super ver. iustus titulus. propè medi. ver. vt ergo scias, & in cap. j. eod. tit. lib. vj.

1 ¶ Omissis alijs generalibus, descenden. ad primam prætensam exceptionem in qua deducitur breuiter, quòd testes producti & dicta ipsorum pro parte domini M. plebani in L. non valent, quia scilicet non sunt examinati secundùm interrogatoria pro parte domini S. oblata. Ad hoc replicando dicitur, quòd dictus excipiens in excipien. falsum (absq; eius iniuria loquendo) deduxit, prout dictus procurator refert se ad examen testium.

2 ¶ Item descenden. ad secundam prætensam exceptionē in qua deducitur quod testimonium dictorū testium sit nullum, ex eo quod non sint examinati ieiuni. & al. c. j de testi. & atte. circa finem. Ad hoc replicando dicitur, quod illud c. quò ad testes quòd ieiuni debeant examinari, intelligitur de honestate tantùm, vt xxij. q. v. honestum. & maximè ex quo testes ieiuni iurarunt, & postea sobrij, licèt non ieiuni deposuerunt.

3 ¶ Item quò ad tertiam prætensam exceptionem in qua breuiter excipiens (licèt falsè & ineptè) deducit quòd testes (per ipsum specialiter nominati) inducti pro parte domini M. plebani, in suis testimonijs sint inualidi & testimonium ipsorum non valeat ex eo quod sint singulares, diuersi & aduersi & contrarij sibiipsis & suis contestibus. Ad hoc replican dicitur, quòd dictus excipiens non benè legit attestationes testium. quòd si legisset, inuenisset dicta ipsorum concor

dia, per quæ sufficienter probatur ius commune & petitorium cum possessorio pro parte domini M. prout dictus procurator refert se ad depositiones dictorum testium. Ad allegationes autem iurium per excipientem adductas de prædicta diuersitate & singularitate ficta, replicando dicitur, quòd hic locum non habent & impertinenter deducuntur, cum testes per excipien. nominati sint concordes in sensu, licèt alicubi aliqui ipsorum videantur discordare in verbis. Et posito & non concesso quòd aliqui prædictorum testium videantur discordes esse vel singulares quò ad verba, tamen benigna interpretatione iudicis sunt concordandi, quò ad sensum seu intellectum, vt habetur de testi. cum tu. & xj. q. iij. antecessor. & viij. q. j. in scripturis. Nam & euangelistæ reducuntur ad concordiam de pe. dist. j. periculosæ. Et omnia testimonia sequenda sunt iiij. q. iij si testes, prout hic optimè sequi possunt, quia omnes concorditer probant ius commune pro plebano in L. Et licèt in possessorio videantur quò ad verba modicum diuersi, non tamen aduersi cum ad petitorium omnes vnanimiter concordant. Et sic quò ad hoc sufficienter est replicatum.

4 ¶ Item ad quartam prætensam exceptionem in qua excipiens deducit quomodo tertius & quartus testis sint leuis opinionis & malæ famæ. Ad hoc replicando dicitur, quòd dictus excipiens non intelligit quis dicitur malæ famæ aut leuis opinionis. Replicando autem ad formam dicitur, quòd dictus excipiens falsè deducit, cum dicti testes sint bonæ famæ & optimæ opinionis, & approbati apud homines vtriusque sexus, graues & leues. Et posito & non concesso quòd dicti testes sint pauperes, prout non sunt, probitas tamen in ipsis præeminet. Et cum de quolibet præsumitur quòd sit idoneus, nisi probetur contrarium. c. fin. de præsum. de ipsis est præsumen. quòd sint idonei. Et etiam dictus excipiens non specificat in quo sint leuis opinionis, propter quod non est audiendus.

5 ¶ Item ad quintam prætensam exceptionem in qua excipiens videtur confiteri articulos pro parte domini M. probatos, sed dicit testimonia testium in eadem prætensa exceptione nominatorum non valere ex eo quòd non sunt exa-

minati secundùm interrogatoria de singulis circumstantijs, & allegat.c. cum causam.de testi. cum alijs iuris concor Ad hoc replicando dicitur, quòd dictus excipiens in excipien. deficit, aut non benè legit attestationes dictorum testium, cum dicti testes optimè sunt examinati de singulis circumstantijs ad hoc requisitis, prout dictus procurator refert se ad depositiones & examen dictorum testium.

¶ Et sic sufficienter est replicatum ad dictas prætensas exceptiones sigillatim, ad singulas.

¶ Non tamen obliuioni est relinquendũ, quòd testes præfati domini M. pro sua Ecclesia & ipso optimè singulariter ad singulos articulos deposuerunt, prout in replicationibus est aliqualiter tactum. Et cum hoc sunt digniores & valentiores quàm testes præfati S. quia nobiles & numero plures, propter quod ipsorum testimonia sunt sequẽda, vt habetur de testibus ca. in præsentia. Testes autem pro parte domini S. & sua ecclesia in N. sunt pauciores & minus digni, quia cmethones & subditi. Exceptis duobus, qui licèt videantur aliquid probare, non tamen fundamentaliter probant, quia non probant titulum, seu quo iure dictas decimas ipse S. percipit, immò verius occupat: propter quod ipsorum testimonia non sunt sequenda, prout in allegationibus paulò ante adductis, aliqualiter est deductum, ad quas se dictus procurator refert.

¶ Ex præmissis igitur & quolibet præmissorum petit dictus procurator nomine quo supra procuratorio, non obstan. dictis prætensis exceptionibus pro parte S. plebani in N. & contra præfatum dominum M & suam Ecclesiam productis & iudicialiter coram vobis oblatis, ad sententiam diffinitiuam pro parte domini M. & suæ Ecclesiæ per vos procedendum fore & procedi, iustitia sancta mediante. Has replicationes.&c.

¶ *Oblata.*

DIE TALI &c. V. de C. plebani in L. procurator, obtulit replicationes prout terminus requirebat. Et A. de D. procuratore S. plebani in N. peten. terminum ad duplicandum dominus ad diem octauam præfixit. Præsentibus. &c.

¶ Possent tandem produci duplicationes, triplicationes, & quadruplicationes, secundùm partium libitum, & materiæ exigentiam.

¶ Productio instrumentorum actoris.

NOTA quòd instrumenta producens iudicialiter pro sua parte, & contra partē aduersam simul & articulos offerre poterit in hunc qui sequitur modum.

¶ Positiones & articuli.

AD ELIDENDVM & excludendum intentionem & ius discreti domini S. de G. plebani in N. diœcesis Cracoui. quod prætendit se habere in decimis, tam prædialibus, quàm etiam incolarum & chmetonum in villa G. communiter nuncupata dictæ diœcesis Cracoui. procurator & nomine procuratorio discreti domini M. de P. plebani in L. præfatæ diœcesis Cracoui. deducendo materiam priuilegiorum dotationis Serenissimi principis B. olim Regis Poloniæ, & Reuerendissimi in Christo patris domini S. quondam Episcopi Craco. cùm patentibus sigillis prædictorum appendentibus dictis priuilegijs, positiones & articulos infrascriptos dat, facit, exhibet, & producit, petens partem aduersam compelli ad sigillorum recognitionē medio suo iuramento, quæ si negata fuerint probare intendit, non astringens se, nec suā partem ad aliquod onus superfluæ probationis, sed dūtaxat ad ea probanda, quæ pro intentione sua, & victoria præsentis causæ sufficere videbūtur. De quo solēniter protestatur.

1. ¶ In primis igitur ponit, & si negatum fuerit, probare intendit legitimis documentis, quòd de anno Domini 1101. in festo beati Michaelis arcang. Serenissimus princeps B. felicis recordationis Rex Poloniæ, pro tempore existens. Ecclesiam parochialem in L. sancti I. de nouo fundatam & erectam certis bonis & possessionibus, puta agris, prædijs, censibus & villis circumiacentibus, locatis & quæ locari incipiebant ac decimis certis, dotauit & priuilegiauit priuilegio, de quo supra, & sigillo suæ maiestatis maiori corroborauit.

Quòd

Quòd sic fuit & est verum.
2 ¶ Item ponit, vt supra, quòd prædictum priuilegium, de quo supra præfati Sereniss. principis B. sic incipit. In nomine &c. Cum memoria hominum. &c. Data verò prædicti priuilegij fuit & est talis. Datum & actum in castro nostro Lublinen. in Lub. sub anno Domini 1101. in festo sancti Michael. arcang. in cuius rei fidem, sigillum nostræ maiestatis maius est appensum. In quo priuilegio inter cætera dotationis suę maiestatis continetur villa G. communiter nominata cum decimis, tam prædialibus, quàm omnium & singulorum chmetonum, prout dictus procurator refert se ad contenta in dicto priuilegio per ipsum iudicialiter actu producto ad probandam intentionem suam & elidendum intentionē partis aduersæ eius quòd prætendit se habere falsè & iniustè in prædictis decimis prædialibus, & post araturas chmetonum, quas prædictus dominus S. occupauit & occupat, detinuit & detinet iniustè occupatas.
3 ¶ Item ponit, quòd de omnibus præmissis fuit estque publica vox & fama.
4 ¶ Item ponit, quòd principium priuilegij incorporationis opidi prædicti L. & villarum cum agris, censibus & decimis pro prædicta Ecclesia in L. Reuerendissimi in Christo patris domini S. felicis recordationis Episcopi præfati Craco. & sui capituli fuit, & est tale, In nomine Domini Amen. Nos S. &c. finis verò talis. Datum & actum Craco. in loco capitulari ante thesaurum dictæ Ecclesiæ Cathedralis Craco. sub Anno Domini 1101. die vndecima Mensis Nouembris, in festo sancti Marti. Confessor. In cuius rei testimonium. &c. In quo quidem priuilegio inter decimas prædictæ decimæ prædiales, & post araturas omnium & singulorum chmetonum, de mensa præfati in Christo patris domini S. quondam Episcopi Craco. sunt incorporatæ pro dicta Ecclesia parochiali in L. in villa G. prædicta communiter nuncupata, ac ipsa villa G. pro parochia prædictæ Ecclesia parochialis sancti I. in L. fuit & est incorporata prout dictus procurator refert se ad tenorem prędicti priuilegij per ipsum iudicialiter producti.
5 ¶ Item ponit, vt supra, quòd prædictus S. nō attentis prædictis, videlicet dotatione Ecclesiæ in L. & incorporatione

prædictarum decimarum in villa G. prædicta pro prædictæ Ecclesia in L. à tempore primæuæ suæ fundationis & erectionis, contra suam conscientiam, & in periculum animæ suæ easdem decimas occupauit & occupat, detinuit & detinet in præiudicium non modicum & grauamen prædicti domini M & suæ Ecclesiæ in L. faciendo palàm, publicè & manifestè.

6 ¶ Item ponit, quòd de præmissis omnibus fuit, & est fama & vox publica. Has positiones. &c.

¶ *Oblata.*

DIE Tali Mensis. &c. V. de C. procurator ipsius M. plebani in L. oblatis quibusdam positionibus & articulis, produxit quædam priuilegia, vnum dotationis sub titulo. B. olim Regis Poloniæ, & aliud fundationis & incorporationis parochiæ & decimarum cuiusdam Reuerend. patris Domini S. Episcopi Craco. cum sigillo eius & capituli dictæ Ecclesię Craco. sub datis. Anno Domini. &c. ad probandum positiones & articulos per ipsum productos, petendo partem aduersam compelli ad recognoscendum signa, & sigilla medio suo iuramento, ex aduerso A. procuratore S. plebani in N. petente copiam & terminum ad dicendum contra, & ad vidẽdum seu conspiciendum sigilla. Et dominus ad diem octauam præfixit. Præsentibus.

¶ *Recognitio Sigillorum.*

DIE Tali. &c. V. de C. procurator domini M. plebani in L. petiuit A. de D. procuratorem discreti domini S. plebani in N. ipso domino S. præsenti medio suo iuramento compelli ad recognoscendum sigilla priuilegiorum, de quibus supra: & prædicti A. & S. ad mandatum domini per iuramentũ dixerunt, quòd non haberent notitiam sigillorum prædictorum, tactis sacrosanctis Euangelijs. Et incontinenti V de C. quantum ad sigillum regis produxit nobiles A. de G. & C. de D. ad probandum, qui iurati recognouerunt prædictum sigillum, & per iuramentum dixerunt ipsum fuisse prædicti

regis B. pluraq; similia exhibuerunt ad maiorem certitudinem. Item ad recognitionem sigillorum Reueren. in Christo patris domini S. olim Episcopi Cracoui. & sui capituli duos canonicos B. & S. eiusdem Ecclesiæ idem V. produxit, qui iurati dixerunt esse sigilla Episcopi prædicti & capituli asserentes, quomodo plura priuilegia sub huiusmodi sigillis Ecclesia Cracoui haberet, & similiter de signis dixerunt, & dominus habuit pro recognitis. Et statim ex aduerso post recognitionem sigillorum prædictus A. procurator obtulit exceptiones contra prædicta priuilegia & articulos. Et dominus decreta copia, ad replicandum ad diem octauam terminum præfixit. Præsentibus. &c.

¶ *Exceptiones.*

CONTRA Quasdam cartas loco priuilegiorum sub titulis vnius (vt deducitur) B. Regis Poloniæ dotationis, & alterius S. Episcopi afferti Cracoui. incorporationis ac quorundam articulorum, procurator & nomine procuratorio discreti domini S. plebani in N. excipiendo protestatur, quòd si quæ sunt, aut contineantur tam in prædictis cartis priuilegiorum, si dici merentur, quàm etiam positionum & articulorum quæ faciunt, aut facere videntur pro parte sua & contra partem aduersam, illa in ea parte duntaxat non impugnat, sed admittit, & approbat, saltem tacitè. Inquantum autem facerent, aut facere viderentur pro parte aduersa, dictus procurator excipit, opponit, arguit, & excipiendo dicit, quòd dictæ prætensæ cartæ loco priuilegiorum productæ, sunt impertinentes, & inefficaces & de iure inadmissibiles, vetustatæ consumptæ, tum per abusum si aliquid valuissent est ipsis renunciatum, & aliâs extra terminum sunt productæ, contra stilum & obseruantiam curiæ Romanæ. Nam adductæ sunt probationes & recognitiones sigillorum antequã admissio facta est, & terminus præfixus sit ad probandũ, prout postea latius deducetur verbo & inscriptis, ex quibus apparebit clarius nullitas dictarum cartarum loco priuilegiorum productarum.

1 ¶ Et primò pro & ex eo dicta priuilegia, si dici merentur, non

non releuant producentem, nec nocent parti contra quam producuntur, quia per abusum longi temporis & signanter spacium non solùm xl.annorum, sed etiam à centum & vltra annis est ipsis renunciatum, quia nunquam prædecessores præfati M.fuerunt vsi priuilegijs prædictis.Ex eo quia in possessione prædictarum decimarũ, tam prædialium, quàm etiam incolarum & chmetonum non fuerunt, nec ipse M.à temporibus quibus cepit esse plebanus.Et quòd plus est spacio xxx.annorum derogatur priuilegio,ita quòd per xxx.annos abutens ipso,iuri suo renunciat, vt habetur de priuileg. c.si de terra,& sic non solùm spacio xl.annorum,vt habetur. c.accedẽtibus,eod.tit.sed etiam xxx. vt supra allegatum est. Et etiam priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate,vt habetur.eod.tit.c tuarum.Quòd autem prædecessores præfati domini & ipse M. sunt abusi priuilegijs prædictis dictus procurator refert se ad attestationes & dicta testium, ad positiones & articulos libelli reconuentionalis pro ipso domino S.productorum, & etiam ad testes ipsius domini M. partis aduersæ in hac causa si debitè depositiones dictorum testium intelligantur.

2 ¶ Item posito & non concesso, quòd prædicta priuilegia releuarent vel releuare viderentur aduersam partem, prout in rei veritate non releuant,adhuc replicando dicitur, quòd dictus producens fundando suam intentionem vltimatam in eisdem priuilegijs, renunciauit iuri communi in quo suã intentionem principaliter fundauerat, vt patet in processu eiusdem causæ.Et sic neutrum ipsum poterit releuare, quia per vnum aliud inficit, eò ꝙ priuilegium dicitur priuata lex iij.dist.priuilegia.Et priuilegium communiter datur,contra aut præter ius commune, ideò quis non potest simul inniti priuilegio & iuri communi,vt xvj.q.j.hinc est.& l.j.ff. ad municip.de quo not.in cap.contra morem.ead dist. Vide etiam. c.cùm personæ. de priuileg.lib.vj. Nam quod meum est ex vna causa,ex alia causa meum fieri non potest.ca.inter dilectos.§.sed contra,ad fin.cum multis concord. ibi annotatis, de fide instrum.Si ergo decimæ fuerunt suæ ex iure communi ergo non ex priuilegio vel e contra.

3 ¶ Ex præmissis igitur, & quolibet præmissorum petit dictus

ctus procurator nomine quo supra procuratorio,non obstā tibus dictis prætensis cartis priuilegiorum pro parte discreti M.plebani in L.productis per vos venerabilem virum &c. ad sententiam diffinitiuam pro parte præfati domini S. procedendum fore & procedi,iustitia mediante.Has except.&c.

¶ *Replicationes.*

CONTRA Quandam prætensam cartam loco exceptionum pro parte discreti domini S. plebani in N. & contra priuilegia & articulos discreti domini M.iudicialiter oblatam & productam, procurator & nomine procuratorio præfati domini M replicat, arguit,opponit, & replicando dicit, quòd prædicta prætensa carta cum contentis in ea est friuola,impertinens,non releuans producentes, nec nocens parti contra quam producitur, prout ex infra deductis clarius apparet.

1 ¶ Et primò descendendo ad primam prætensam, & cauillosam exceptionem,in qua breuiter inter cætera(licèt sub alijs verbis)deducitur alleganter & impertinenter, deducendo quomodo prædictis priuilegijs per abusum longi temporis & signanter xxx. lx. xc. citra vel vltra spacium annorum sit renunciatum, & quòd ratione tam longi temporis, priuilegia admitterent vigorem.Ad hoc replicando dicitur, quòd hoc est falsum, quòd vnquam contra prædecessores præfati domini M.transiuisset tam longi temporis præscriptio,prout dictus procurator refert se ad depositiones testium pro parte præfati domini M. in hac causa ad articulos ex libello procedentes inductorum. Et posito & non concesso, quòd tanta præscriptio transiuit, prout in rei veritate non transiuit,adhuc non releuaret aduersam partem, cùm malæ fidei possessor nunquam præscribit,vt habetur de præscript. cap. fin.& eod.tit.cap. si diligenti.in glo.super verb.iustus titulus prope medi.ver.vt ergo scias.Vbi inter cætera deducitur, quod præscriptio sine iusto titulo contra habentem ius commune pro se,non releuat præscribētem nec ei aliquid prodest.Ratio ibidem quia præscriptio ius creatum aduocat,nouum autem non creat, vt c.dist. contra morem.& xciij.dist.illud. In

casu

casu autem præsenti pro præfato domino M. ius commune interpellat, vt supra probatum est sufficienter, ad quas probationes dictus procurator se refert, facit optimè ad prædicta. c. j de præscr. lib. vj. & c. ij. de restit. spol. eod lib.

2 ¶ Ad secundam & vltimam prætensam exceptionem, in qua breuiter deducitur, quomodo præfatus dominus M. producendo priuilegia in quibus fundauerat suam intentionem vltimam, renunciaret iuri communi. Ad hoc replicando dicitur, quòd hoc est falsum, quia tenor prædictorum priuilegiorum ostendit, vnde ius commune sumpsit exordium, quò ad prædictas decimas prædiales, & post araturas omnium incolarum in dicta villa G. quia ex incorporatione eiusdem villæ G. pro parochia in L. eò quòd est in parochia ipsius. Ad hoc enim quod acquiratur alicui Ecclesiæ parochiali, ius commune in sua parochia, quò ad decimas, requiritur quòd villæ in quibus decimæ consistunt tempore fundationis dictæ parochiæ, incorporêtur per loci ordinarium, prout in casu præsenti factum est. Ad hòc verò, vbi excipiēs subiungendo ratione deducit. Quòd meum est ex vna causa. &c. replicando dicitur, quòd hoc dictum nō habet locum in casu præsenti, sed in illis casibus vbi vnum præiudicat alteri. Vt si alicui prouideatur de beneficio autoritate ordinaria, & etiam autoritate apostolica, & ille contra aduersarium primò incipiat se defendere iure ordinarij, & videns illud deficere haberet recursum ad ius quod sibi competebat autoritate Apostolica, tunc enim vnum impediret aliud. Sic in alijs pluribus casibus. In casu verò præsenti, quia per incorporationem ordinarij ius commune probatur & adiuuatur, incorporatio non tollit, nec impedit ius commune. Et sic sufficienter est replicatum ad præfatas prætensas exceptiones.

¶ Ex præmissis igitur, & quolibet præmissorum petit dictus procurator nomine, quo supra procuratorio, non obstātibus dictis prætensis exceptionibus pro parte præfati S. &c. oblatis & productis, per vos venerabilem virum. &c. ad sententiam diffinitiuam pro parte domini M. plebani in L. & Ecclesiæ suæ procedendum fore & procedi, iustitia mediante. Has replicationes, &c. vt supra.

¶ *Oblata.*

¶ *Oblata.*

Die Tali. &c.V.de C. ipsius M. plebani in I. procurator obtulit replicationes in scriptis, ex aduerso A. de D.procuratore discreti S. plebani in N. petentibus copiam & terminum ad dicendum contra aliâs ad duplicandum, & dominus ad diem octauam præfixit. Præsentibus.

¶ *Duplicationes verbo.*

Die Lunæ prima mensis Maij. A procurator domini S. plebani in N.præsente V.de C. procuratore M.plebani in L. partis aduersæ, duplicauit generaliter verbo contra replicationes præfati M.&c.Citatoq; dicto V.per G. nuncium iuratum,petiuit concludi in causa & sententiam ferri.Et præmemorato V. similiter petente concludi, dominus cùm dictis procoratoribus conclusit in causa hincinde habendo pro cõcluso.Præsentibus. &c.

¶ *Sententia diffinitiua.*

Christi Nomine inuocato,pro tribunali sedentes,& solûm Deum præ oculis habente, de iurisperitorum consilio, & assensu matura deliberatione præhabita ex his quæ vidimus & videmus,cognouimus, cognoscimus, in causa quæ inter discretos M.in L.actorem ex vna, & S.in N.partibus ex altera rectores Ecclesiarum parochialium vertente de & super decimis manipularibus & campestribus, post agros, & araturas tam prædiales nobilis A. quàm omnium, & singulorum incolarum,& chmetonum in villa G. communiter nominata in districtu Lub. diœcesis Cracoui. per hanc nostram sententiam diffinitiuam, quàm ferimus in his scriptis,dicimus,decernimus, procunciamus & declaramus, omnes & singulas decimas manipulares & campestres, tam post agros, & araturas dicti nobilis A. quàm etiam omnium & singulorum incolarũ, & chmetonum in prædicta villa G. ex præscriptione legitimè pręscripta pertinuisse & spectasse,

& hodie

& hodie pertinere & spectare ad prædecessores præfati domini S. & Ecclesiam suam in N. eosdemq; prædecessores dicti S in possessione dictarum decimarum per tempus legitimè perscriptum fuisse & extitisse absque aliqua interruptione, & ipsum S. à temporibus quibus assecutus est dictam Ecclesiam easdem pacificè possedisse. Et ob hoc præfato domino S. adiudican. fore & adiudicamus, præfatoq; domino M. & Ecclesiæ suæ in L. in decimis prædictis & ad ipsas nullum ius competisse nec competere, oppositionesq; & contradictiones ac impedimenta præfato domino S. & Ecclesiæ suæ in N. per prædictum dominum M. in prædictis decimis de iure ipsarum præstitas & præstita, temerarias & iniustas, temerariaq; & iniusta fuisse & extitisse: præfatoq; domino M. & Ecclesiæ suæ in L. de & super prædictis decimis perpetuũ silentium imponen. fore & imponimus, præfatumq; dominum S. & suam Ecclesiam prædictam ab impetitione dicti domini M. absoluen. fore & absoluimus, condemnan. prædictum dominum M. præfato domino S. in expensis in causa coram nobis legitimè factis, quarum taxationem nobis in posterum reseruamus. Lecta, lata & inscriptis pronunciata est hæc sententia diffinitiua per me. &c.

¶ *Notarius*.

Die x. mensis maij, V. de C. procurator discreti M. de P. plebani in L. citato A. procuratore domini S. plebani in N. per M. nuntium iuratum apud acta, petiuit sententiam diffinitiuam ferri in causa decimarum, & dicto A. similiter peten. dominus tulit sententiam in scriptis, adiudican. decimas in villa G. præfato domino S. & suæ ecclesiæ in N. & super eisdem perpetuum silentium imponen. dicto M. & Ecclesiæ suæ in L. ipsumq; M. in expensis condemnan. præfato S. in lite legitimè factis. Et ibidem V. procurator dicti M. appellauit verbo à sententia domini tanquam iniqua ad sedem Metropolitanam Gneznen. petiuitq; sibi cum debita instan. Apostolos dari. Et dominus ob reuerentiam sedis Metropolitanæ detulit suæ appellationi, dando Apostolos reuerentiales. Præsentibus. &c.

¶ *Appel-*

¶ *Appellantis documentum.*

NOTA Quòd à diffinitiua sententia potest, vt supra diximus appellari verbo & hoc incontinenti, & ibidem possunt peti Apostoli, sic. Domine iudex ego appello à vestra sententia tanquā &c. & peto apostolos. Et si tunc iudex incontinenti dederit apostolos maximè reuerentiales, dabit literas remissoriales ad iudicem ad quem sub hac forma.

¶ *Apostoli venerabiles.*



EVERENDO In Christo patri domino Ioanni Archiepiscopo sanctæ Ecclesiæ Gneznensis, vel eius officiali generali T. R. canonicus & officialis generalis Craco. deuotas orationes cum debita reuerentia. Reuerendiss. pater & domine gratiose, mota coram me materia quæstionis autoritate ordinaria inter discretos M. sancti I. in L. actorem ex vna, & S. in N. reum partibus ex altera Ecclesiarum parochialium rectores, de & super decimis manipularibus & campestribus, tam prædialibus quàm etiam omnium & singulorum incolarum cmethonum in villa G. communiter nominata in districtu Lub. in eadem causa ritè & rationabiliter proceden. seruatis, seruan. iudiciarium processum cōtinentibus, præmissa citatione contra prædictum S ad instantiam præfati M. & tandem successiuè oblatis libellis conuen. pro parte M. præfati actoris, & recōuen. pro parte N. de S. rei & Ecclesiarum suarum, super eisdem litem legitimè contestatā & post litis contest. dato & assignato termino prædictis partibus ad ponen. & articulan. & ex post prout terminus requirebat, oblatis nonnullis positionibus & articulis tam pro parte actoris quàm rei, ex libellis ipsorum procedentibus & hincinde facta responsione ad prædictas positiones & articulos, receptaq; probatione sufficienti pro vtraque parte tam testium quàm literarum siue priuilegiorum quibus dictæ partes vti volebant, & publicatis attestationibus testiū,

& ad

& ad petitionem dictarum partium copijs eorundem decretis ac per partes receptis hincinde, & termino ipsis ad dicendum contra præfatas attestationes per me assignato, demum contra attestationes & dicta testium per nonnullas exceptiones, replicationes & duplicationes extitit disputatum, tandem partibus vtrisque citatis ad videndum, & audien. concludi, in præsentia procuratorum dictarum partium conclusi cum potestate reuocandi. Et post in alio certo termino citatis procuratoribus partium, & petētibus ferri diffinitiuam sententiam, ipsam ad petitionem dictarum partium tuli & promulgaui adiutore deo, huiusmodi sub tenore Christi nomine inuocato &c. vt supra. (& ponatur totus tenor sententiæ de verbo ad verbum) post cuiusquidem sententiæ prolationem & pronunciationem, pro parte discreti domini M. plebani in L. mox & incontinenti extitit verbo appellatum ad vestram sanctam sedem Metropolitanam G. & Apostoli cum debita instantia petiti. Et licèt crediderim me iustam & sanctam sententiam tulisse, & promulgasse, ob reuerentiam tamen p. v. & sedis autoritatem, eidem appellationi humiliter detulit dan. apopolos reuerentiales & literas eorundem apostolorum remissoriales decreui dan. cum subscriptione notarij causæ, & sigilli officialatus appen. Datum & actum Cracoui. Anno domini &c. die tali, Præsentibus.

¶ Et ego N. clericus diœcesis Craco. autoritate apostolica notarius publicus, prædictis, sententiæ prolationi, appellationis interpositioni, Apostolorum petitioni eorumque dationi, & alijs omnibus & singulis præsens interfui.

¶ Nota quòd apostoli possunt interdum dari tantum sub sigillo iudicis absque subscriptione notarij. Cautius tamen est vt notarius se subscribat.

¶ *Quomodo in scriptis appellatur.*

Nota Quod si non appellatur mox & incontinenti verbo à sententia diffinitiua vel appellanti non dantur statim Apostoli, debet tandem infra decendium (vt diximus) in scriptis appellari si pars prætendens se grauari appellare voluerit,

fuerit, quæ appellatio poteſt concipi ſub hac forma.

¶Appellatio à diffinitiua.

CORAM Vobis venerabili viro T. &c. Ego V. de C. procurator diſcreti domini M. plebani in L. Craco. diœceſis animo & intentione appellan. propono, allego atque dico, quòd quamuis coram vobis verten. cauſa inter præfatum M. in L. actorem ex vna. & S. in N. reum parribus ex altera, eccleſiarum parochialium rectores de & ſuper decimis tam prædialibus nobilis A. quàm omnium & ſingulorum incolarum ſculteti & cmethonum in G. villa vulgariter nuncupata, in diſtrictu Lub. diœceſis Craco. ad ipſum dominum M. iure communi pertinen. & ſpectan. Et quanquam præfatus dominus M. intentionem ſuam & ius Eccleſię ſuæ ſufficienter probauit, vos tamen venerabilis domine (veſtra reuerentia ſemper ſalua) non attentis probationibus præfati domini M. iuris ordine non ſeruato, vt præſumitur, in fauorem partis aduerſę veſtram ſententiam diffinitiuam, ſi dici meretur, pro præfato domino S. & Eccleſia ſua in N. & contra præfatum dominum M. & Eccleſiam ſuam tuliſtis & promulgaſtis, abſoluen. præfatum S. ab impetitione, & præfatum M. in expenſis in lite factis eidem S condemnan. Vnde ex præmiſſis, & quolibet præmiſſorum ſentiens prædictum dominum M. & Eccleſiam ſuam fore grauatos, timenſq; in poſterum plus poſſe grauari, à prædictis omnibus, videlicet à ſententia veſtra tanquam iniqua, & iniuſta, ac condemnatione expenſarũ, & quouis alio grauamine quod ex inde ſequi vel colligi poſſit. Ad reueren. in chriſto patrem dominum I. dei gratia Archiepiſcopum, & primatem ſanctæ Eccleſiæ Metropolitanæ Gneznen. in his ſcriptis prouoco, & appello, & Apoſtolos primò inſtanter, ſecundò inſtantius, tertiò inſtantiſſimè à vobis venerabilis domine, vel ſi eſt qui mihi eos dare velit, & poſſit, vel ſaltem à te notario publico literas teſtimoniales in fidem, & teſtimonium omnium præmiſſorum mihi dari peto. Subijciens prædictum dominum M. cum omnibus ſibi adhæren. & adhærere volen. tuitioni, & protectioni, ſedis ante dictæ. Saluo iure, adden. minuen.

 corrigen.

corrigen. & alijs iuris beneficijs semper saluis.

¶ *Fatalia peten Apostolorum.*

SVNT Scripta supra folio 26. dicuntur autem fatalia iuris seu dies fatales. Quia eis fatum idest mors seu terminus causæ imponitur. Vide tex in autenti ei qui appellat C. de tempor. appellat.

¶ *Instrumentum appellationis à diffinitiua.*

IN NOMINE domini. Amen, Sub anno natiuitatis domini &c. pontificatus sanctissimi in christo patris, &c. & in domo habitationis venerabilis domini T. canonici & officialis generalis Craco. in platea canonicorum sita & stuba communis audientiæ, in mei notarij publici testiumq; infrascriptorum ad hoc vocatorum specialiter & rogatorum, præsentia, coram præfato domino T. cano. & offic. Craco. ad iura redden. pro tribunali sedente & in audientia publica, constitutus personaliter circumspectus magister V de C. procurator & nomine procuratorio M. rectoris parochialis ecclesiæ in L. tenens & habens in suis manibus quandam appellationem in carta papiri conscriptam à quadam sententia diffinitiua, vt dicitur lata à præfato venerabili T. pro parte domini S. plebani in N. & contra ipsum dominum M. vt dicitur, pronunciata, & quibusdam alijs grauaminibus in dicta appellatione expressis, ipsam animo & intentione prouocandi & appellandi, præsente A. de D. procuratore præfati domini S. interposuit & per me legi fecit lectamq; insinuauit Cuius appellationis tenor fuit & est talis. Coram vobis venerabili &c (& sic inseratur totus tenor appellationis de verbo ad verbum & tandem continuando subiungitur) Post cuius quidem lectionem & interpositionem ac insinuationem præfatus magister V. petijt sibi à præfato venerabili T &c. Apostolos dari, vel saltem super eisdem responderi, qui quidem dominus ob reuerentiam sedis Metropolitanæ, incontinenti eius appellationi detulit dando Apostolos reuerentiales. Super quibus omnibus prædictus magister V petijt

sibi

sibi à me notario publico confici publicum instrumentum. Acta sunt hæc Anno.&c. inditione.&c.pontificatus. &c. Præsentibus. A.B.C.

¶ Et ego M.de G clericus diœcesis Craco. autoritate apostolica notarius, interpositioni & insinuationi appellationis prædictæ, ac Apostolorum petitioni,& super his responsioni, alijsq; dum sic, vt præmittitur,fierent,& agerentur, rogatus vna cum prænominatis testibus interfuit & præmissa in hanc publicam formam redegi.

¶ Processus in secunda instantia.

APPELLANS itaque accedens iudicem appellationis intra iuris fatalia vel tempus sibi per iudicem à quo, præfixum, offerat literas apostolorum uel instrumentum appellationis & petat sibi decerni citationem cótra appellatum vna cum inhibitione contra iudicem à quo,notarios, partem aduersam & procuratores partis aduersæ, ne quid in eadé causa attentare præsumant. Quem actum petitionis præfatæ notarius scribat.

¶ Actus petitionis.

ANNO Domini. &c. die tali. In domo venerabilis domini A. archidia. & officialis Gneznen F de G. asserens se procuratorem discreti domini M. plebani in L. personaliter constitutus, in præsentia præfati domini V. oblatis apostolis venerabilibus appellationis interpositæ (vel oblato appellationis instrumento de manu notarij talis) à sententia diffinitiua venerabilis domini T. cano. & offi. Craco. lata pro parte S. plebani in N. contra dictum dominum M. super decimis prædialibus & cmethonum in G. petijt sibi decerni citationem cum inhibitione contra partem appellatam. &c. Et dominus decreuit iuxta petita. Præsentibus.

¶ Hic reuoca in mentem ea quę dicta sunt supra folio 46. quæ debet obseruare iudex appellationis antequam decernat citationem cum inhibitione.

bitationum suarũ, si tutus ad ea vobis pateat accessus, sinaũt ex tunc in ecclesijs vestris publicè proponen. vno edicto pro tribus & peremptoriè cæteris præfatum S. plebanũ in N. ac oẽs & singulos sua cõiter vel diuisim interesse putan. in executione præsentium nominatum, quos & nos tenorẽ præsentium citamus vt coram nobis Gneznen. in domo nostræ solitæ residentiæ 12. die à die executionis præsentium, si ipsa dies iuridica fuerit, aliàs prima die iuridica ex tunc immediatè sequenti, per se aut per procuratores suos ad causam hmõi sufficienter instructos compareant legitimè ad dicen. & opponen. quicquid verbo, vel in scriptis contra hmõi nobis præsentatam appellationem nostramq; iurisditionem dicere siue excipere voluerint ac impugnan. & iustifican. easdem, nec non ad proceden. & per nos procedi viden. ad omnes & singulos actus, & terminos iudiciarios, gradatim & successiuè vsq; ad nostræ sententiæ diffinitiuæ prolationem inclusiuè, certifican. eosdem taliter citatos, quòd siue in dicto citationis nostrę termino comparere curauerit siue nõ, nos nihilominus ad partis comparentis & causam huiusmodi prosequi curantis instantiã, ad præmissa oĩa & singula ac ad ea quæ iuris & rationis fuerint dante domino procedemus, contumacia siue absentia dictorum citatorum non obstante. Et insuper attenden. quòd lite & causa huiusmodi taliter coram nobis penden. indecisis, nihil sit per quempiam attentari, siue innouandum. Vobis igitur executoribus supradictis sub pœnis præscriptis mandamus, quatenus post legitimam dictæ citationis executionem, personaliter accedentes supra dicto domino T. &c. ac dicto S. plebano in N. ex aduerso principali ac alijs omnibus & singulis quorum interest inhibeatis, quibus etiam nos præsentibus inhibemus nè ipsi seu illorum alter, per se vel per alium directè vel indirectè, occultè vel manifestè vel quouis quæsito colore, in causis hmõi in vilipendium & leuitatem iurisditionis, & sedis Metropolitanæ contemptum, dictiq; M. plebani in L. principalis præiudicium, damnum & grauamen, attentare siue innouare præsumant seu præsumat. Quod si secus factum fuerit, nos id totum cassare, annullare & in pristinum statum reducere curabimus iustitia mediante. Diẽ verò cita-

¶ *Exceptiones citra approbationem iurisditionis.*

CORAM vobis venerabili viro V. vj & offic. G. procurator & nomine procuratorio discreti S. plebani in N. Craco. diœcesis citra approbationem iurisditionis vestrę personaliter comparens, protestatur, quòd per hunc actum & per alios actus sequentes, si quos ipsum attentare contigerit, iurisditionem vestram non approbat nec approbare intendit, nec comparet coram vobis tanquam iudice competen. sed tanquam personam veneran. Protestatur etiā quòd si aliqua dixerit, proposuerit vel allegauerit, quę iurisditionē vestram aliquatenus approbare videantur, illa vult habere pro non dictis & allegatis, cum iudex in causa pręsenti vigore appellationis interpositæ pro parte domini M. plebani in L. à sententia diffinitiua venerabilis domini T. &c. lata pro domino S. & ecclesia sua in N. & contra dictum M. & Ecclesiam suam in L. dictę Craco. diœcesis esse nō potestis ex causis & rationibus in modum exceptionum infra deductis.

1 ¶ Et primo pro & ex eo dictus procurator excipit, opponit, arguit & excipiendo dicit, quòd iudex esse non potestis. Quia dictus appellans infra decem dies à die latæ sententię, non appellauit, & sic appellatio sua censetur dici desertata, cum post decendium aditus non pateat appellandi, vt habetur. c. concertatione. de ap. lib. vj. cum alijs iuris concor. ibidem annotatis.

2 ¶ Item pro & ex eo iudex esse non potestis, quia posito & non concesso quod dictus appellans infra decem dies à die latæ sententię appellasset, prout in rei veritate non appellauit. Adhuc appellatio sua censetur desertata, quia appellationem suam infra 30. dies seu infra mensem, iudici à quo & parti appellatæ non insinuauit nec notificauit nec in præsentia ipsius eandem interposuit infra tempus sibi à iure cō cessum. Et sic appellationi suæ renunciauit, sicq; appellatio sua est deserta & cassata, vt habetur in cle. causam, de elec. cum alijs concor. in glo. an.

3 ¶ Item pro & ex eo iudex esse non potestis vigore dictæ prætensę appellationis, quia dictus appellās, si dici mereretur,

infra eosdem 30. dies Apostolos non petiuit nec recepit. Et sic appellationi suæ renunciauit, vt in c. ab eo qui. de ap. lib. vj. cum alijs quampluribus iuris concor. ibidem in gloss. annotatis.

¶ Ex pręmissis igitur & quolibet præmissorū petit dictus procurator nomine quo supra procuratorio, salua protestatione de non approbanda iurisditione vestra domine veneran. per vos & vestram sententiam interlocutoriam. obstan. prædictis exceptionibus, dici, pronunciari, & decerni vos nō potuisse nec posse esse iudicem competentem in causa præsentis appellationis: partem aduersam in expensis ob hoc factis condemnando iuxta. c. cum appellationibus friuolis. de ap. li 6. iustitia mediante. Has exceptiones.

¶*Oblata*.

Die Lunę. xj. &c. P. de B. procurator domini S. plebani in N. obtulit exceptiones contra iurisditionem domini citra approbationem iurisditionis, ex aduerso F. procuratore domini M. plebani in L. peten. copiam & terminum ad dicendum contra: & dominus decreta copia pręfixit terminum ad diem octauam. Præsentibus. &c.

¶*Replicationes*.

Contra Quandam prætensam vanam inefficacem & friuolam (quasi ferè valentem obulum) cartam loco exceptionum nuper pro parte domini S. plebani in N. & contra iurisditionem vestram venerabilis domine. &c. in iudicio vestro oblatam & productam, procurator & nomine procuratorio discreti domini M. plebani in L. arguit, opponit, replicat & replicando dicit, quòd prædicta prætensa carta cum contentis in ea est friuola. impertinens, vaga, causa diffugij & iustitiæ supprimendæ data & producta, non releuans producentem, nec nocens parti contra quam producitur, & aliàs est talis quòd ipsa non obstante, vos venerabilis domine. &c. potestis & de iure debetis pronunciare causam prædictam ad vos per appellationem legitimè deuolutam &

vos iudicem competentem ex causis & rationibus infra deductis pronunciari.
1 ¶ Et primò descendendo ad primam prætensam exceptionem in qua breuiter deducitur quòd appellatio pro parte prædicti domini M. plebani in I. infra decem dies à die latæ sententię non fuisset nec esset interposita,& alleg c.concertationi.de ap.lib.vj. Ad hoc replicando dicitur,quòd dictus excipiens in excipiendo & allegãdo deficit,cum non solùm infra decem dies, sed etiam eodem die quo lata est sententia prædicta diffinitiua, si dici meretur, statim & incontinenti fuit & est appellatum,prout dictus procurator refert se ad instrumenta desuper confecta & literas remissoriales quæ ad proban. suam replicationem coram vobis reproducit.
2. & 3. ¶ Item descenden. ad secundam & tertiam prætensas & friuolas exceptiones, in quibus breuiter deducitur quomodo appellatio iudici à quo & partis appellatę nõ fuisset nec esset insinuata & notificata infra triginta dies, & infra eosdem dies Apostoli non fuissent petiti per appellantes nec cum effectu recepti. Ad hoc replicando dicitur, quòd dictus excipiens, in suis exceptionibus quas solùm causa diffugij & indebitæ protractionis produxit, longè discessit à veritate,cum non solùm infra xxx. dies à die latæ sententiæ appellatio est insinuata & notificata iudici à quo & parti appellatę Apostoliq; petiti infra terminum iuris, sed omnia & singula quæ appellationi & appellanti incumbunt, fuernnt & sunt facta disposita eodẽ die quo lata est sententia,prout dictus procurator se refert ad instrumenta seu literas Apostolorũ, tp̄e decretę citationis corã vobis venerabilis dn̄e oblata & producta. Et sic quò ad hoc sufficienter est replicatum.
¶ Ex præmissis igitur & quolibet premissorum dictus procurator petit nomine quo supra,procuratorio per vos venerabilem virum dn̄m V. Vicarium & Officialem generalẽ G. non obstantibus dictis friuolis prætensis exceptionibus, dici,pronũciari,& decerni ad vos causam prædictam vestramq; Ecclesiam Metropolitanam legitimè deuolutam vosque iudicem competentem vestra interlocutoria sententia mediante,partemq; aduersam eidem domino M.in expensis cõdemnan. fore & condemnari. Has replicationes.&c.

¶ *Oblata*

¶ *Oblata.*

DIE Prima mensis.&c.F.procurator domini M.plebani in L. obtulit replicationes in causa appellationis decimarū, ex aduerso P. procuratore S.plebani in N. petētibus copiam & terminum ad duplicandum & dominus decreta copia terminum ad octauam diem præfixit.Præsentibus.&c.

¶ *Actus.*

DIE Tali.&c.P.de B. procurator domini S.duplicauit generaliter verbo, & hincinde partibus peten. interloqui.dominus ad primam iuris præfixit terminum.Pręsentibus. &c.

¶ *Interlocutoria.*

SEDENTES Pro tribunali interloquendo pronunciamus non obstantibus friuolis exceptionibus pro parte domini S.plebani in N.causam appellationis pro parte M plebani in L. interpositæ à sententia diffinitiua venenerabilis domini T. &c.lata pro parte dicti S.ad sedem Metropolitanam G. esse legitimè deuolutam & nos iudicem competentem præfatum dominum S. ipsi M.in expensis litis condemnandum, quarum taxationem nobis in posterum reseruamus.

¶Vel sic.Honorabilis domini M.de P.rectoris Ecclesię parochialis in L. ex vna,& discreti S.de B.curati in N.partibus ex altera in causa decimarum campestrium, tam prædialiū, quàm sculteti,& chmetonum villæ G. coram nobis in secunda instantia vigore appellationis vertēte,decernimus & pronunciamus interloquendo non obstantibus.&c. vt supra.

¶ *Notarius.*

DIE Tali.&c.F.domini M.in L.& P.domini S.in N.plebanorum,procuratoribus petentes interloqui,dominus interlocutus est in scriptis,appellationis causam legitime deuolutam ad sedem Metropolitam C & se iudicem competentem pronun-

pronunciauit dictumq; dominum S. præfato M. in expensis litis condemnando P. procuratore domini S. protestando, de grauamine & appellando. Præsentibus.

¶ *Documenta.*

NOTA Quòd cautè faciet procurator, si infra decem dies à die interlocutorię pro se latæ nil attentabit. Nam si ad uersarium statim citasset ad terminum sequentem, poterit eum excitare ad appellandum, qui aliâs dormiuisset. Et id semper seruandum est quando pars aduersa prætēdit se grauari per aliquam interlocutoriam. Vnde & cauti iudices quando vident, quòd per interlocutoriam alicui partium grauamen intulerint, infra decem dies ab huiusmodi interlocutoria non procedunt in ea causa propter prædictam rationem.

¶ Nota si appellans obtulit iudici appellationis, apostolos, seu remissoriales literas iudicis à quó, vel acta primæ instantiæ, tunc replicando referet se ad illas literas, vel ad illa acta pro legitimanda, & iustificanda sua appellatione. Huiusmodi enim literæ vel acta dant testimonium, quòd omnia sint ritè facta quæ incumbunt appellantibus.

¶ Si verò appellans obtulit tantùm instrumentum appellationis, vt fit cum appellatur in scriptis, replicando oportet, vt se referat ad acta primæ instantiæ, & tunc loco eius, quòd in fine replicationum ponebat. Prout dictus procurator refert se ad instrumenta, seu literas apostolorum, dicét prout dictus procurator offert se probaturum legitimis documentis, loco & tempore oportunis. Vel sic replicabit.

¶ *Replicationes.*

CONTRA Quandam. &c. vt supra. Præmissis generalibus tandem subiungatur.

¶ Et primò descendendo ad primam prætensam, & friuolam exceptionem, in qua breuiter deducitur, quòd pro parte domini M infra decem dies à die latæ sententiæ, non fuerit nec sit appellatum, & alias duas sequētes, videlicet, quòd

insinuatio

insinuatio dictę appellationis non sit facta infra xxx. dies, & Apostoli non sunt petiti infra eosdem xxx.dies, & ibidē quę dam allegationes iuris impertinenter adducuntur. Ad præmissa omnia replicando dicitur, quòd pro parte prædicti domini M. omnia quæ appellantibus incumbunt, fuerunt & sunt legitimè facta & disposita, videlicet quòd appellatum est infra x.dies, à die latæ sententiæ prædictæ, & ab eodē die interpositæ dictæ appellationis Apostoli infra xxx. dies sunt petiti & recepti cum effectu, prout dictus procurator offert se probaturum legitimis documentis loco & tempore oportunis. Ex præmissis.

¶ Et in tali casu iudex non feret interlocutoriam pronunciando causam esse per appellationem ad sedem Metropolitanam legitimè deuolutam & se iudicem competentem, sed interloquetur admittendo replicationes ad probādum, quæ probabuntur ex actis primæ instantiæ per notarios iudicis à quo ex eius actis extractis, & ad iudicem appellationis, vt moris est, reportatis.

¶ Item nota, quòd si appellatus viderit omnia quæ appellantibus incumbunt esse ritè facta & disposita, poterit omisso articulo appellationis approbare iurisditionem iudicis ad quem est appellatum. Et hoc maximè intelligendum est qn̄ appellatur à diffinitiua, vt colligitur ex c.cordi. de ap.lib.vj.

¶ *Item nota circa præmissa.*

SI IPSE appellans post fundatam iurisditionem nōn curat, vel negligit causam prosequi. Ex tunc ipse appellatus vel procurator suus, procuret citari ipsum appellantem, ad videndum & audiendum causam ipsam ad iudicem primæ instantiæ remitti, ob negligentiam prosequendi ipsam appellationem, aliâs ob negligentiam procedendi in causa, post iurisditionem fundatam, vt notatur in ca.ad hæc, & infra de appell. Si verò pars appellans post fundatam iurisditionem, aliquos actus fecit, vtpotè quia obtinuit literas compulsoriales pro actis primæ instantiæ, vel aliquid simile. Tum in termino citationis, comparens, dicat. Ecce doceo de diligentijs quas feci, & facio in tali causa &c.

¶Item

Item circa omnia præmissa quod alibi est omissum.

NOTA q Replicationes sunt exceptiones actori competentes contra rei exceptiones. Et replicationes semper opponit actor, duplicationes autem sunt exceptiones, seu defensiones reo competentes contra replicationes actoris. Sed iterum contra duplicationem rei, datur triplicatio actori; vnde triplicatio est exceptio, seu defensio actori competens, contra duplicationem rei. Postremò contra triplicationem actoris, datur quadruplicatio reo. Vnde quadruplicatio, est exceptio reo competens, contra actoris triplicationem, & ibi fit status, vt l.ij.ff.de except. & C.eodem libro. non exceptionibus, vbi dicit Bald. Sicut reus iuuatur exceptionibus, ita actor replicationibus, supple & triplicationibus. Exemplum omnium prædictorum. Peto iudicialiter à te centum, quæ tibi mutuaui. Tu excipis, dicens te habere à me pactum de non petendo, vel te esse absolutum à solutione per acceptilationem, hoc enim probato, absolueris à mea petitione. Sed ego possum replicare, quòd tale pactum de quo tu excepisti, fuit per metum, vel per dolum, vel contra leges, extortum vel ei renunciatum per aliud pactum posterius. Quo probato obtinebo. C. de pactis l.licèt, & l.pacta nouissima. verum rursus contra meam replicationem, tu potes duplicare, de alio pacto tertio. Vel quòd dolus, nesciente & volente interuenit. C.de transactio.l.cum dotationis. & ff. de reg.iuris. Regula. nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt. Vel quòd meus ex post accessit consensus.c. si qui cleri. vel vouen. & cap. ad id quod. de sponsa. Et sic vlterius vsque ad quadruplicationem procedendo, & vsque ad vltimum pactum, hæc habentur institut. de replicatio. & in l.pacta præallegat. Videte Specul. in tit. de exceptionibus, & replicationibus. §. Nunc dicendum restat. de replicationibus &c.

Cæterum ad sequentia nota.

QVEMADMODVM Apud logicos propositio hipothetica

tica construitur ex duabus categoricis. Sic libellus appellatorius, seu secundæ instantiæ, tam conuentionalis, quàm reconuentionalis, construitur ex duobus videlicet ex libello primæ instantiæ, conuentionali vel reconuentionali, nam in prima instantia concludendo libellum, vnum petebatur: hîc autem, idest, in secunda instantia, duo petuntur, videlicet id quòd in primo libello, primæ instantiæ fuit petitum. Item quòd pronunciaretur benè appellatum, & malè sententiatū, adiuncta semper expensarum, & fatigarum petitione, de quo sequitur exemplum statim in sequenti libello appellatorio.

¶ *Libellus appellatorius conuentionalis.*

CORAM Vobis venerabili viro V. de L. vicario, & Officiali generali G. iudice causæ & partibus infrascriptis vigore appellationis, à sententia diffinitiua venerabilis domini T. R. Canonici & Officialis generalis Craco. pro parte discreti domini M. ad sedem Metropolitanam interpositæ, procurator & nomine procuratorio prædicti domini M. rectorit Ecclesiæ in L. diœcesis Craco. appellantis, contra & aduersus discretum S. in N. plebanum & contra quamcunque personam, pro ipso vestro in iudicio legitimè interuenientē graui cum querela proponit, quòd quamuis mota materia quæstionis inter præfatum M. actorem ex vna & d ctum S. reum partibus ex altera, coram venerabili domino T. R. Cano & Offic. generali Craco. de & super quibusdam decimis, tam prædialibus post araturas nobilis A quàm omnium & singulorum incolarum, & chmetonum in villa G. communiter nominata diœcesis Craco. in districtu Lub. ad prædictum M. & Ecclesiam suam iure communi spectantibus, & pertinentibus fundationis & erectionis præfatæ Ecclesię parochialis in L præfatusq; dominus M. intentionem suam & ius sufficienter in petitorio & possessorio, tam testibus, quàm priuilegijs probasset & fundasset. Nihilominus tamē præfatus dominus T. &c. in præfata causa procedens, iuris ordine non seruato, nec attentis probationibus, & iure prædicti M. & Ecclesiæ suæ, sententiam suam diffinitiuam (si dici meretur) tulit & pronunciauit, pro parte dicti domini S. & Ecclesiæ suæ in N. & contra

& contra prę fatum dominum M. & Ecclesiam suam in L. adiudicando præfato S. & Ecclesiæ suæ decimas supradictas, tam prædiales, quàm omnium & singulorum incolarum, in dicta villa G ex crescentes & absoluentes dictum S. ab impetitione præfati M. & eidem M. perpetuum silétium super eisdem decimis imponentes, eundemque in expensis in causa factis condemnando, à qua quidem sententia diffinitiua tanquam iniqua, pro parte præfati domini M. fuit & est appellatum, & apostoli petiti, infra terminum iuris, & omnia quæ appellantibus incumbunt, fuerunt & sunt facta & disposita.

¶ Petit igitur dictus procurator nomine quo supra procuratorio, per vos venerabilem virum V. de L. vicarium & offi. generalem G. & vestram sententiam diffinitiuam dici, pronunciari, decerni, omnes & singulas decimas, tam post agros & araturas nobilis A. quàm omnium & singulorum sculteti, & chmetonum in villa G. communiter nominata in terra L. dictæ diœcesis Craco. ad prædictum dominum M. & Ecclesiam suam iure cõmuni pertinuisse & spectasse, & nunc pertinere & spectare, prædecessoresq; prædicti domini M. & Ecclesiam suam in possessione ipsarum fuisse & extitisse, ipsasque sibi & Ecclesiæ suæ adiudicandas fore, & adiudicari, præfatoque domino S. & Ecclesiæ suæ in prædictis decimis, non competisse nec competere ius aliquod prædictumque dominum Thom. &c in dicta causa malè, & iniquè, & perperam processisse, & sententiasse & diffiniuisse, sententiamque diffinitiuam per ipsum taliter qualiter latam, iuris ordine prætermisso, pro parte dicti S. & Ecclesia sua in N. quatenus de facto processit cassandã, annihilandã, reuocandã, & infringendam fore, cassariq; reuocari annihilari & infringi, pro parteque prædicti domini M. à prædicta sententia tanquam iniqua & iniusta, bene appellatum fuisse & esse, omniaq; quæ appellantibus incumbunt faciendo disposuisse & disposita fuisse, prędictumq; S. predicto M. & Ecclesię suę, in fructibus perceptis à temporibus occupationis prædictarum decimarum, in expensis in lite, tam coram iudice primę instantię, q̃ coram vobis factis & fiendis condemnandum fore & per vos condemnari, iustitia mediante. Saluo iure adden. minuen. omnibusq; melioribus modo, via, iure stilo. &c.

¶ *Oblata.*

¶ *Oblata.*

DIE Tali mensis. &c.F.de G.procurator domini M. plebani in L.citauit P.de B procuratorem S.plebani in N.ad videndum offerri libellum, ipsoq; oblato dictus P. petiuit copiam ipsius & terminum ad deliberandum,& dñs decreta copia præfixit terminum ad octauam diem.Pręsentibus.&c.

¶ Die tali mensis.&c.P.de B.procurator discreti S.plebani in N.deliberatus,petijt sibi dari terminum ad reconueniendum pręsente & consentiente F.procuratore M.,& dominus terminum ad octauam pręfixit.Pręsentibus. &c.

¶ *Libellus reconuentionalis.*

CORAM Vobis venerabili viro domino V. Vicario & Officiali generali G.iudice appellationis,procurator & nomine procuratorio discreti S. rectoris Ecclesię parochialis in N.diœcesis Craco.Contra & aduersus discretum M.rectorem Ecclesię in L.dictę Craco.diœcesis,& contra quamcunque aliam personam pro ipso vestro in iudicio legitimè interuenientem,proponit & dicit, quòd licèt causa quę coram venerabili viro T. &c. inter pręd ictum dominum M. actorem ex vna & pręd ictum S.reum partibus ex altera, de & super decimis prędialibus,excrescentibus post araturas nobilis A omniumq; & singulorum incolarum,& chmetonum in villa G.communiter nominata seu vulgariter dicta in terra Lub.dictę diœcesis Craco.fuisset & esset solenniter acta & tractata,pręfatusq; dominus T.&c. in pręfata causa benè, & rationabiliter ac solenniter iuris ordine in omnibus seruato processisset sententiamq; diffinitiuam in ipsa pro parte domini S. & Ecclesię suę in N. & contra dictum dominum M. & Ecclesiam suam in L.tulisset,promulgasset, & pronunciasset,easdem decimas dicto S.& Ecclesię suę pręd ictę in N.adiudicandum. Nihilominus tamen pro eiusdem domini M. ab ipsa sententia fuit & est (vt dicitur) temerè & iniustè, ac de facto duntaxat ad sedem Metropolitanam G. appellatum & malè:cum ea quę appellantibus incumbunt non fuerunt,

nec

nec sunt facta & disposita.

¶ Petit igitur dictus procurator nomine quo supra procuratorio per vos venerabilem virum dominum V. vestramque sententiam, dici, pronunciari, & decerni, ac declarari in causa prædicta præfatum T. &c. benè & iustè, ac sanctè fuisse & esse processum, sententiatum & diffinitum, ipsiusq; sententiam cum contentis in ea confirmandam, approbandam, & ratificandam fore, & per vos approbari, confirmari, & ratificari, pro parte domini M. ab ipsa sententia diffinitiua malè, iniquè, & de facto duntaxat fuisse & esse appellatum, præfatumq; dominum M. prædicto domino S. in expensis in causa legitimè factis & in posterũ faciendis condemnandum fore & per vos condemnari, & aliâs de & super præmissis sibi fieri iustitiæ complemẽtum vestrum benignum officium ad hoc humiliter imploran. Saluo iure &c.

¶ *Terminus ad respondendnm libello.*

Die Tali mensis. &c. F. de G. procurator domini M. plebani in L. citato P. procuratore domini S. plebani in N petit responderi libello oblato pro parte dicti M. offerens se esse paratum ad respondendum libello reconuentionali. Et dominus hincinde præfixit terminum ad respondendum ad diem octauam. Præsentibus.

¶ *Responsio super libellis.*

Die Tali mensis. &c. P. ipsius S. in N. & F. ipsius M. in L. plebanorũ procuratores ad libellos hincinde per ipsos productos, responderunt verbo animo contest. litem super eisdem, negantes narrata, prout narrantur fore vera, saluo eo quòd confessi sunt fuisse processum in prima instãtia coram domino T. &c. & quòd tulit sententiam contra prædictum dominum M. & Ecclesiam suam & pro parte discreti S & de mandato domini, hincinde pręstiterunt iuramentum calumniæ super omnibus articulis in eodem iuramento cõtentis, & vtrisq; procuratoribus peten. terminum præfigi ad ponen. & articulandum, dominus ad xij. diem præfixit.

¶ Nota, quòd iuramentum calumniæ, nedum in prima instantia, sed etiam in secunda potest, & debet præstari si exigitur, vt habetur. ca. in appellationis, de iuram. calum. lib. vj. Et potest exigi & præstari in quacunque parte litis, cùm non sit de substantia ordinis iudiciarij, quòd statim post litem contestatam (vt debet) iuretur de calumnia, vt habetur. cap. j. eod. tit. & lib.

¶ *Articuli super libello conuentionali.*

POSITIONES & articulos infrascriptos, procurator & nomine procuratorio discreti M. plebani in L. diœcesis Craco. in causa appellationis, quæ inter prædictum M. actorem ex vna, & discretum S. plebanum in N. partibus ex altera vertitur & vertebatur, de & super decimis prædialibus, post agros & araturas nobilis A. & omnium & singulorum sculteti, & chmetonum in villa G. communiter nominata in terra Lubli. diœcesis Craco. dat, facit, exhibet, & producit, coniunctim & diuisim, petens eisdem per partem aduersam medio suo iuramento responderi, qui si negati fuerint, petit se ad probandum admitti, non astringens se & suam partem ad aliquod onus superfluæ probationis, sed duntaxat ad ea probando, quæ pro intentione sua & victoria præsentis causæ obtinenda sufficere videantur. De quo soléniter protestatur.

1 ¶ In primis igitur ponit, & si negatum fuerit probare intendit, quòd à x. xx. xxx. xl. citra vel vltra annis in parochia & intra parochiam Ecclesiæ suæ parochialis. s. in L. fuit, & est quædam villa G. vulgariter nominata, quæ consueuit inhabitari & inhabitatur per homines vtriusq; sexus, à temporibus supra descriptis, & ꝙ prædicti homines eiusdem villæ vtriusq; sexus percipiunt, & perceperunt à rectore dictæ Ecclesiæ in L. pro tempore existente & suis vicarijs ecclesiastica sacramenta, tam voluntaria, q̃ necessaria videlicet ꝙ paruuli prædictorum hominum, seu incolarum in prædicta villa G. baptizantur & adulti venientes ad annos discretionis, confessi corpore Christi, tam sani, quàm etiam infirmi & alijs sacramentis procurantur, à præfato rectore dictæ ecclesiæ parochialis in L. & suis vicarijs. Quod sic fuit &c.

2 ¶ Item ponit, vt supra, ꝙ à temporibus supra descriptis omnes, & singulæ decimæ manipulares & campestres, post omnes & singulos agros & araturas, tam nobilis A. quàm omnium & singulorum sculteti & chmetonum, in prædicta villa G. communiter nominata pertinuerunt & spectauerũt, ad prædecessores prædicti domini M. & Ecclesiam suam & hodie pertinent & spectant, fueruntq; nonnulli prædecesso res præfati M. & Ecclesia sua in L. in pacifica & quieta possessione, vel quasi iuris percipiendi præfatas decimas, leuan di, colligendi, decimandi, & in vsus proprios easdem conuer tendi. Quòd sic fuit & est verum.

3 ¶ Item ponit, vt supra, quòd prædictas decimas manipu-lares & campestres, tam prædiales, post omnes agros & araturas nobilis A. quàm omnium & singulorum sculteti, & in colarum in villa G. communiter nominata, prædictus domi nus S. plebanus in N. diœcesis Cracouiens. nescitur quo spiritu ductus, contra Deum & iustitiam pro se & Ecclesia sua vsurpat & occupat, spoliando prædictum dominum M. & Ecclesiam suam in L. in graue periculum animæ suæ, & in scandalum non modicum & grauamen, damnificando eundem dominum M. & Ecclesiam suam à tempore spoliationis & occupationis, anno quolibet ad viginti marcas. Quòd sic fuit & est verum.

4 ¶ Item ponit, vt supra, quòd prædictus M. volens defendere iura Ecclesiæ suæ prædictæ in L. de anno domini. Mille simo. &c. die decima mensis Augusti, prędictum dominum S. plebanum in N. traxit in causam ad præsentiam venerabilis T. R. canonici & officialis generalis Craco. & litem ei de præ dictis decimis nouam intentauit. Quòd sic fuit. &c.

5 ¶ Item ponit, vt supra, quòd prædictus dominus T. officialis prædictus, procedendo in causa, iuris ordine prætermisso, & probationibus præfati M. non attentis neq; conspectis, sententiam diffinitiuam (si dici meretur) pro parte dñi S. prædicti & Ecclesia sua in N. tulit & pronunciauit, & contra prædictum dñm M. & Ecclesiam suam in L. decimas præ fatas eidem S. & Ecclesiæ suæ in N. adiudicandas perperã, & iniquè, & eundem do. M. in expensis dicto S. condemnando, silentiumq; perpetuum, quãtum in ea fuit, prædicto dño M.

ſuper eiſdem decimis impoſuit. Et ſic fuit & eſt verum.
6 ¶ Item ponit, vt ſupra, quòd pro parte prædicti domini M. & Eccleſiæ ſuæ in L à tali ſententia diffinitiua (ſi dici meretur) tanquam iniqua iniuſta, infra terminum iuris fuit & eſt appellatum, apoſtoliq; petiti & cum effectu recepti, & omnia quæ appellationi incumbunt fuerunt & ſunt diſpoſita. Quòd ſic fuit & eſt verum.
7 ¶ Item ponit, & dat pro poſitionibus & articulis acta acticata in prima inſtantia, videlicet libellorum articulorum & aliâs probationes inquantum faciunt, & facere poſſunt pro parte ſua, & contra partem aduerſam, & non aliter nec alio modo.
8 ¶ Item ponit, quòd de omnibus præmiſſis eſt publica vox & fama.

¶ *Articuli ex libello reconuentionali.*

POSITIONES Et articulos infraſcriptos, procurator & nomine procuratorio diſcreti domini S. plebani in N. diœceſis Craco. in cauſa appellationis, quę inter prædictum S. tanquam reum ex vna, & M. rectorem Eccleſiæ parochialis in L. actorem partibus ex altera de & ſuper decimis quibuſdã manipularibus & campeſtribus in villa G. vulgariter nominata in terra Lubl. dictæ diœceſis Craco. vertitur, dat, facit & producit coniunctim & diuiſim, petens eiſdem per partem aduerſam medio ſuo iuramento reſponderi. Qui ſi negati fuerint probare intendit, non aſtringens ſe & ſuam partẽ ad aliquod onus ſuperfluæ probationis, ſed duntaxat ad ea proban. quæ pro intentione ſua, & præſentis cauſæ victoria obtinenda, ſufficere videantur. De quo ſolenniter proteſtatur.
1 ¶ In primis igitur ponit, & dat pro poſitionibus libellum in prima inſtantia productum & oblatum in cauſa præſenti, & omnia ſingula in eo contenta, narratiuè & diſpoſitiuè de quolibet.
2 ¶ Item ponit, & dat pro poſitionibus & articulis, poſitiones & articulos, aliâs datos & productos coram iudice, à quo extitit appellatum.
3 ¶ Item ponit, quòd præfata omnia contenta in libello &

in dictis positionibus, fuerunt & sunt vera, & de ijs in consistorio Craco. & Gnez. & aliâs vbilibet fuit & est vox publica.
4 ¶ Item dat, pro positionibus & articulis, omnia & singula producta & in posterum producenda in præsenti causa, inquantum faciunt, seu facere possunt pro parte sua, & contra partem aduersam, & non aliter nec alio modo.

¶ Prædictas positiones & articulos, dat dictus procurator nomine quo supra procuratorio, prædicti domini S. & Ecclesiæ suæ in N. saluo sibi iure declarandi, & prædicta omnia in melius reformandi, non astringens se & suam partem ad probandum superflua, sed duntaxat ea quę sibi sufficiũt in causa præsenti pro victoria obtinenda.

¶ *Oblata.*

Die Tali. &c. F. ipsius M. plebani in L. & P. ipsius S. plebani in N. procuratores, hincinde obtulerunt positiones & articulos prout terminus requirebat. Et hincinde petentibus copiam & terminum ad dicendum contra, dominus ad octauam diem præfixit. Præsentibus. &c.

¶ *Exceptiones ipsius S.*

Contra Quandam prætensam cartam loco articulorum pro parte discreti M. plebani in L. & contra discretum dominum S. plebanum in N. nuper in iudicium vestrũ oblatam & productam venerabilis domine, &c. procurator & nomine procuratorio dicti domini S. arguit, opponit, excipit & excipiendo dicit, quòd prædicta prætensa carta cum contentis in ea, est friuola, impertinens non releuans producentem, nec nocens parti contra quam producitur, & aliâs est talis, quòd de iure est inadmissibilis & repellenda & debet repelli, prout & ex infra deductis clarius apparebit, & ex post verbo & in scriptis si necesse fuerit.
1 ¶ Et primò prætensa carta quãtum ad tres primos articulos videlicet primo secundo & tertio, nõ est admittenda, nec de iure debet admitti, imò contra ius scriptum esset si admitteretur. Et hoc sic deducitur. Nam materia predictorũ articu-

lorum, est in articulis primæ instantiæ sufficienter inducta, super quibus articulis, testes fuerunt & sunt sufficienter inducti & examinati, & dicta eorum publicata, copiæq; attestationum receptæ, itaq; præfatus dominus M. in præsenti causa aduersarius, sufficienter didicit præfatas attestationes. Et sic si præfati articuli admitterentur ad probãdum, esset præsumptio violenta de subornatione & corruptione testium inducendorum. Vnde & iura disponunt quòd post publicationem attestationum, testes super eisdem articulis vel directè contrarijs, vt in clem. ij. de testib vel super materia eorundem articulorum non sunt admittendi, vt habetur in ca. intimauit. & c. de testibus de testib. & cap. fraternitatis. eod. tit. vbi glo adducit multas concordan. Vnde & secundùm Goff. quatuor sunt quæ tollunt copiã producendi testes, seu quibus obstantibus prohibetur productio testium. Primò publicatio testium, vt in ca. supra alleg. Secundò renunciatio siue conclusio, vt in d. c. fraternitatis. Tertiò productio quarta, vt in c. in causis. de testi. Quartò numerus testium effrenatus, hoc est vltra xl. vt in eod. tit. c. significauerunt. & c. cum causam, cum alijs & plurimis iuris concor.

2 ¶ Item pro & ex eo dicta prætensa carta quantùm ad præfatos tres articulos non est admittenda, quia si admitteretur esset contra hoc dictum de corpore iuris exceptum & in causis appellationum communiter allegatum: videlicet, non allegata allegabo, & non probata probabo. Admissis enim dictis prætensis articulis allegata allegarentur & probata probarentur, & sic sequeretur confusio processus in causa, imò committeretur nugatio, cum esset vnius & eiusdem inutilis repetitio, & absurdum est eandem materiam N. eodem modo & sub eadem forma in iudicium deductam, sæpius repetere & resumere. Et sic præmissis obstantibus dicti articuli non sunt admittendi, nec debent de iure admitti.

¶ Ex præmissis & quolibet præmissorum, petit dictus procurator & nomine quo supra procuratorio, obstantibus exceptionibus supra deductis, & de iure admissibilibus. prædictos prætensos articulos tres de quibus supra repellendos fore & per vos repelli, vestra interlocutoria sententia mediante, præfatumq; dominum M. ipsi domino S. in expensis condemnan-

demnan-

demnandum fore & condemnari, & aliâs de & super præmissis sibi fieri iustitiæ complementum, vestrum benignum officium ad hoc humiliter implorando. Has exceptiones.

¶ *Oblata*.

DIE Tali, mensis talis P. de B. ipsius S. plebani in N. procurator, obtulit exceptiones contra articulos pro parte discreti M. plebani in L. productos & oblatos, & ex aduerso F. procuratore dicti M. petentibus copiam & terminum ad dicendum contra, aliâs ad replicandum. Et dominus. &c.

¶ *Replicationes*.

CONTRA Quandam prętēsam cartam loco exceptionum pro parte discreti domini S. curati in N. & contra positiones & articulos discreti domini M plebani in L. nupee in iudicium vestrum venerabilis domine, &c. oblatam & productam, procurator & nomine procuratorio præfati discreti domini M. plebani in L. arguit, & opponit, replicat & replicando dicit, quòd dicta prætensa carta cum contentis in ea fuit & est impertinens & friuola & breuiter dicendo, de iure inadmissibilis, cum non releuat producentem nec nocet parti contra quam producitur, & aliâs est talis quòd ipsa non obstante vos venerabilis domine. &c. potestis & de iure debetis admittere articulos eiusdem domini M. ad probandum, prout ex infra deductis clarius apparebit.

1 ¶ Et primò descendendo ad primam prætensam exceptionem in qua breuiter in summa deducitur, quòd si post publicationem attestationum in prima instantia, articuli conformes, seu materiam primorum articulorum continentes producantur in secunda instantia, tunc nec illi articuli, nec testes super eisdem debent admitti. Et excipiens videtur adducere causam, quòd postquam pars producens didicit attestationes, habetur violenta præsumptio de subornatione & corruptione testium producendorum, & allegat dictus excipiens pro intentione sua. c. fraternitatis, & ca. intimauit, de testibus. cum alijs iuribus per ipsum impertinenter adductis.

Ad hoc replicando dicitur, quòd dictus excipiens in excipiendo & præsertim in allegando (salua sua reuerentia) seruat astutiam Satanæ, quia sicut Satanas cum Christum tentauit dicens Matth.4. Si filius Dei es.&c. in ea parte illa quæ pro ipso facere videbantur allegauit dicens. Scriptum est Psalmus 90 Angelis suis,&c. quæ verò contra ipsum in mente continebantur, tacuit videlicet. Super aspidem & basiliscum ambulabis.&c sic & ipse excipiens.cc.prędicta inquantum videbantur facere pro ipso, in ea parte allegauit & adduxit In ea verò parte in qua in toto contra ipsum sunt, maximè in glo.d.c. fraternitatis, tacuit, vbi continetur, quòd in eadem causa & materia si noua capitula, seu noui articuli oriuntur, testes noui possunt induci,& etiam super nouis articulis dependentibus ex veteribus articulis & quæ possunt oriri ex ipsis testes noui & alij prius producti in prima instantia super eisdem possunt produci, vt in d.c. fraternitatis,& in glo. eiusdem.ç super verb. super nouis manifestissimè,& expressè continetur & deducitur, prout dictus procurator refert se ad d.ca. & ad glo. per ipsum alleg. vbi prædicta sufficienter deducuntur. Et licèt in glo. alleg. legistæ videantur sentire contrarium, vltimatè tamen concluditur in fine eiusdem glo quòd super nouis articulis pendentes ex primis, siue ex veteribus optimè testes producuntur. Et sic constat quòd dictus excipiens in excipiendo deficit. Et vbi videbatur pro se allegare, allegat contra, vt patet cuilibet dictam glo. legenti & intelligenti, cum alijs multis iuris concordan. ibidèm annotatis.

2 ¶ Item ad vltimam prætensam exceptionem in qua breuiter excipiens deducit in effectu, quòd admissis dictis articulis contrarium illius dicti, quòd communiter allegatur videlicet non allegata allegabo, non probata probato admitteretur, si probata vel allegata iterum allegarentur vel probarentur in causa appellationis. Ad hoc replicando dicitur, quod dictus excipiens non intelligit illud dictum commune, quia hunc locum in iure contentum non vidit, sed si vidisset, non adduxisset. Nam quamuis illud dictum intelligendum est, quòd omissa in prima instantia possum allegare, & probare, tamen non sequitur quòd probata vel allegata sub alijs mo-

do

do & forma melioribus nó possem allegare vel probare, quia ex supra deductis apparet, quòd datis nouis articulis pendentibus ex veteribus, possum supplere in secunda instantia per nouas probationes neglecta in prima instantia, vt in prę alleg. c. fraternitatis, in tex. rotundo. & in glo. eiusdem c. super verbo super nouis, de testib. cum alijs pluribus iuris concord. ibidem annotatis, & in l. hanc. C. de tempo. & repara. appellat. vbi de hoc.

¶ Ex præmissis igitur & quolibet præmissorum, petit dictus procurator nomine quo supra pnocuratorio, per vos venerabilem dominum V. &c. & vestram sententiam interlocutoriam, dici, pronũciari, decerni; & declarari articulos pro parte dicti domini M. oblatos ex libello suo procedentes, nó obstantibus dictis friuolis exceptionibus, admittẽdos fore & per vos admitti, iustitia mediante.

¶ Circa præmissa sciat iunior, quòd subornare est de veritate tacenda & falsitate dicenda testem informare secundùm Guil. in clem. ij. de testib.

¶ *Oblata.*

DIE Tali, mensis talis. F. de G. ipsius M. plebani in L. procurator, obtulit replicationes in scriptis. P. procuratore S. curati in N. petentibus copiam & terminum ad dicendum contra, aliàs ad duplicandum, & obtinuit ad octauam diem. Præsentibus. &c.

¶ *Duplicationes verbo.*

DIE Tali, mensis talis P. de B. procurator S. plebani in N. duplicauit generaliter verbo. Et hincinde procuratoribus peten. interloqui dominus ad primam diem iuridicam terminum præfixit. Præsentibus.

¶ *Interlocutoria.*

SEDENTES Pro tribunali interloquendum pronunçiamus, nó obstã. friuolis exceptionibus pro parte discreti S. plebani

bani in N. cõtra positiones & articulos M. plebani in L. oblatis & productis, eosdem articulos admitten. fore & admittimus, eundem S. dicto M. in expensis occasione præmissorũ legitimè factis condemnantes, quarum taxationem nobis in posterum reseruamus. Lecta. &c.

¶ *Notarius.*

DIE Tali mensis talis F. ipsius M. & P. ipsius S. procuratoribus peten. interloqui. Prout terminus requirebat, dominus interlocutus est, admitten. articulos M. plebani in L. & ad responden. hincinde articulis terminum ad octauam diẽ præfixit. Præsentibus.

¶ *Responsiones rei.*

SALVA Ineptitudine & impertinentia positionum & articulorum pro parte domini M. plebani in L. oblatorum & productorum, protestatur procurator domini S. plebani in N. quòd si alicui vel aliquibus cui vel quibus de iure nõ esset respondendum, responderit, vult habere pro non responso, de quo solenniter protestatur. Qua protestatione solenni sic præmissa, ad positiones & articulos prædictos ineptos, satisfaciendo termino si & inquãtum ipsis de iure esset respondendum, respondet, vt sequitur sub hac forma.

¶ Et primò ad primam positionem respondendo, credit ipsam esse veram. Item ad secũdam non credit. Item ad tertiam non credit quod prædictus S. vsurparet, vel occuparet, sed credit, quòd iustè de iure possidet decimas, quas etiã non credit tanti valoris prout in articulo describuntur. Item ad quartam credit. Item ad quintam credit quod sententia lata est pro ipso S. & ecclesia sua iustè & iuris ordine seruato. Item ad sextam credit quod appellauit, sed non credit quòd fecisset ea quæ incumbunt appellationibus. Ad septimam & octauam non credit.

¶ *Responsiones actoris.*

SALVA Ineptitudine & impertinentia positionum & articulorum

ticulorum non admittendorum, pro parte domini S. plebani in N. productorum, protestatur procurator & nomine procuratorio domini N. plebani in L. quod si alicui ex ipsis vel aliquibus per ipsum esset responsum cui vel quibus de iure non esset respondendum, vult habere pro non responso, de quo solenniter protestatur. Et præmissa hac protestatione, respondet sub hac forma, vt sequitur,

¶ Et primò descendendo ad primum, & secundum articulos, respondendo credit ipsos esse veros. Item ad tertium non credit. Item ad quartum non credit nisi actu fuerint data & producta.

¶ *Oblata.*

DIE Tali mensis talis P. ipsius S. in N. & F. ipsius M. in L. plebanorum procuratores hincinde produxerunt responsiones & articulos in scriptis. Et dñs decretis copijs, præfixit terminũ ad octauam diem ad dicendũ contra. Præsentibus.

¶ *Exceptiones verbales.*

DIE Tali, mensis talis P. ipsius S. in N. & F. ipsius M. in L. plebanorum procuratores, hincinde contra responsiones per ipsos datas generaliter verbo exceperunt, & dominus in continenti & statim visis responsionibus admisit responsiones hincinde. Et ibidem eodem iudicio durante dictus F. citato P. procuratore ipsius S. per M. cursorem nuntium iuratum, obtulit quasdam positiones & articulos in scriptis. Ex aduerso P. petenti copiam & terminum ad dicendum contra. Et dominus ad octauã diem præfixit. Præsentibus. &c.

¶ Circa præmissa de hac clausula saluo iure impertinentium vel non admittendorum. Vide gloss. pen. ordinariam in ver. legitimè, in cle. constitutionem. de elec & in ca. cum contingat circa fi. de offi. deleg. & Gemi. in proœmio sexti, propè prin. Quid autem operetur hæc protestatio, dicendo, saluo iure impertinentium &c. Vide si te delectat, Lancfrancum in c. quoniam contra, de proba. in ver. exceptiones.

¶ *Item*

¶ *Item circa præmissa omnia.*

NOTA Quòd positioni obscuræ & incertæ non est respondendum. Quia positio habet vim probationis, sed incerta vel obscura probatio, non releuat probantem. cap. in præsentia. de proba. Item impertinenti. Quia positio debet fundari & extrahi de libello. Sed positio impertinens, non pertinet ad causam, nec ad libellum ergo. &c. vt si litigatur de vinea & positio formatur de æquo, vel pellicea. &c. Item captiosè. Item criminosè. Quia positio captiosa & criminosa, non potest fieri affirmando vel negando, quin respondens ad eam, sibimet præiudicet. Verbigratia: pono quòd tu es vsurarius. Si dicas propter iuramentum quòd sic, detegis tuam turpitudinem. Si dicas ꝙ non sic eris periurus, cum sis vsurarius. Item nec positioni multiplici est respondendum. Quia omne multiplex est distinguendum, & sic in vno sensu concedendum, in alio verò negandum, de quo plura Lançfrancus in al. c. quoniam contra. de proba. & spec. latè in titulo de positionibus. §. septimo videndum. &c.

¶ *Articuli actoris.*

AD Elidendum & excludendum intentionem & ius domini S. plebani in N. diœcesis Cracouiensis, quod prætendit se falsò habere in decimis prædialibus post araturas nobilis A. & omnium & singulorum sculteti & cmethonum in villa G. vulgariter nominata excrescentibus sita & locata in parochia & inter parochiam ecclesiæ parochialis sancti I. in L. dictæ diœcesis Cracouiensis, procurator & nomine procuratorio domini M. rectoris Ecclesiæ prædictæ in L. positiones & articulos infrascriptos, dat, facit, exhibet & producit, coniunctim & diuisim, petens eisdem per partem aduersam medio suo iuramento respõderi, qui si negati fuerint, petit se admitti ad probandũ, non astringens se & suã partẽ ad aliquod onus superfluæ probationis, sed duntaxat ad ea probanda quæ pro intentione sua & victoria obtinenda sufficere

re videantur. De quo ſolenniter proteſtatur.

1 ¶ In primis igitur ponit.&c.quod ſub Anno domini 1551 & vſque ad annum domini 1563. Honorabilis dominus P. felicis recordationis fuit & erat verus plebanus & pacificus, in Eccleſia parochiali ſancti I. in L. & pro tali tentus, habitus & reputatus.

2 ¶ Item ponit vt ſupra, quod de anno domini 1563. prima menſis ſeptembris prædictus honorabilis dominus P. fœlicis recordationis, rector prædictæ Eccleſiæ in L. clauſit ſuam diem extremam ibidem in domo ſua propria penes cæmeterium ad partem aquilonis reſpectu dictæ Eccleſiæ, & in eadē Eccleſia fuit, & eſt ſepultus.

3 ¶ Item ponit, vt ſupra, quod vacante prædicta Eccleſia parochiali in L. modo prædicto, fœlicis recordationis in G. archidiaconus Cracouienſis, qui in eadem parochia iuſpatronatus obtinebat diſcreto domino B. ibidem de L. de eadem Eccleſia prouiſit, ipſumq; Reuerendiſſimo in Chriſto patri domino S. pro tunc Epiſcopo Cracouienſi, per ſuas patentes literas præſentauit inſtituendum & inueſtiendum: quem præfatus Reuerendiſſimus in Chriſto pater, dominus S. Epiſcopus, præmiſſa crida, id eſt, citatione, canonicè inſtituit & inueſtiuit de & ſuper Eccleſia, & per certos executores ad prædictam Eccleſiam & ad poſſeſſionem eiuſdem introduci mandauit & præcepit, præcipiendo omnibus eiuſdem Eccleſiæ parochianis eidem obedire, ſibique de omnibus fructibus & prouentibus ac decimis integraliter reſponderi. Qui quidem dominus B. vigore literarum prædicti Reuerendiſſimi in Chriſto patris ad eandem Eccleſiam in L. fuit introductus & ad poſſeſſionem ipſius actualem & realem, dictamque Eccleſiam in poſſeſſionem pacificā per vnum menſem, citra vel vltra, poſſedit cum omnibus decimis, prouentibus & obuentionibus. Et ſic.&c.

¶ Circa præmiſſum articulum ſciat iunior, quod crida in Italico, appellatur proclama. Inde literæ cridæ appellantur illæ quæ per ædictum fiunt publicè in Eccleſia vt ſi qui velint ſe opponere iure præſentandi aut eligendi in fauorem talis præſentati vel electi, &c. facto compareant in termino cridæ, id eſt, in termino citationis factæ per proclamationē

publicè

publicæ in Ecclesia per executorem talis cridæ, de qua crida videte.c.fi.de elec.lib.vj.

4 ¶ Item ponit, vt suprà, quod de Anno domini. 1482. die xxvj. mensis Octobris quidam I. petri capitanei Sando. archiepiscopi Lub. dictæ diœcesis Cracouiensis veniens de curia Romana accepit prædictam Ecclesiam in L. autoritate Apostolica, & prædictum B. rectorem eiusdem Ecclesiæ de possessione eiecit & spoliauit violenter, & signanter in decimis prædialibus post araturas nobilis A. & omnium & singulorum incolarum & cmethonum in villa G. communiter nominata excrescen. Quod sic fuit &c.

5 ¶ Item ponit vt supra ꝙ prædictus I. postquam apprehendit possessionem decimarum, fructuum & prouentuum dictæ Ecclesiæ in L. modo prædicto, præfatas decimas cuidam T. in N. tunc temporis plebano, quem pro notario circa acceptationem ecclesiæ habebat, dedit & assignauit, quod ei assisteret & possessionem ecclesiæ prædictæ secum defenderet, cũ quo idem T. semper continuus fuit defendendo possessionẽ decimarum eiusdẽ ecclesiæ in L. Quod sic fuit. &c.

6 ¶ Item ponit ꝙ dictus B. rector ecclesiæ prædictę in L. interposita appellatione à processibus monitorijs quibus fuit ad instantiam dicti I. monitus, ac à pœnis & censuris in eisdẽ contentis, dicta appellatione præfato I. insinuata & notificata, se ad curiam Romanam transtulit & cum eodem I. septẽ annis litigando, triumphum reportauit, & in redeundo de curia Romana, de Anno domini. 1489, die. vij. mensis Martij. circa Viennam in Austria fuit & erat captiuus & per quinque annos continuè sequentes in captiuitate tentus & com pedibus ferreis in pedibus totaliter destructus, & rediens in L. in Ecclesiam suam, aliquot annis superuiuens, laborañ. graui infirmitate, fuit extinctus & mortuus, ita quod ecclesia prædicta per annos 15. continuè sequen. incipien. ab Anno domini 1482. caruit rectore & defensore. Et sic dictus T. plebanus in S. per eosdem annos continuauit possessionẽ prædictarum decimarum. Cui succedens præfatus S. hucusque continuat mala fide cum famæ suæ detrimento ac in periculum animæ suæ, & in præiudicium non modicum & grauamen ipsius domini M. & Ecclesiæ suæ prædictæ in L. Et sic

ſic fuit & eſt verum. &c.

7 ¶ Item ponit, quòd de omnibus præmiſſis fuit & eſt publica vox & fama.

¶ Sciat iunior circa prҿmiſſa. Quod nullum eſſe prҿlatum circa eccleſiam, & inutilem eſſe ҿquipollent. c. ij. de trãſlat. prҿla. ver. Illa dicitur eccleſia viduata. &c. Inhabilis enim ad agendum nullus dicitur. ff. quod cuiuſque vniuerſi. not. l. j. §. pe. Sed infirmus vel captiuus, eſt inhabilis ad agendum, ergo reputabitur nullus.

¶ *Exceptiones verbo.*

DIE Etc. P. de B. domini S. curati in N. procurator excepit generaliter verbo contra articulos diſcreti M. plebani in L. aſſerens ipſos de iure inadmiſſibiles. Ex aduerſo F. procuratore dicti M. replicante verbo & petentibus interloqui. & dominus ad octauam diem præfixit terminum ad interloquendum. Præſentibus.

¶ *Interlocutoria verbo.*

DIE Tali menſis &c. P. ipſius S. in N. & F. ipſius M. in L. plebanorum procuratoribus petentibus interloqui ſuper exceptionibus verbalibus contra articulos prædicti M. oblatos, dominus interlocutus eſt verbo, admittendo articulos, & terminum ad octauam diem prҿfixit ad reſpondendum eiſdem articulis.

¶ *Reſponſio ad articulos verbo.*

DIE TALI &c P. ipſius S. plebani in N. procurator, reſpondendo articulis pro parte domini M. plebani in L. vltimò oblatis, generaliter ad omnes dixit, non credit ipſos eſſe veros, & F. procuratore dicti M. approban. ſuas reſponſiones & peten. compulſoriales contra officialem Cracouien. & ſuos notarios pro actis primæ inſtantiҿ & inſtrumentis extrahend. ad probandum ſuos articulos ex libello proceden. & ipſum S. compelli ad ſolutionem medietatis dictorũ acto-

rum

rum apud officialem Cracouien. fiendam, dicto P recusan. & contra dicen. ac allegante quod velit stare contentus de instrumento sententiæ præfato F. replicante quòd sicut acta primæ instantiæ essent sibi necessaria pro iustifican. sua appel latione & articulis proban. ita aduersæ parti pro sententia probanda pro ipsa lata. Et hincinde procuratoribus altercan tibus & cõcertantibus dominus decretis compulsorialibus, mandauit acta extrahi, sumptibus duntaxat appellantis, & terminum trium mensium præfixit ad reproducen. eadem acta. Præsentibus. &c.

¶*Remissio ad examinandos testes.*

DIE TALI men &c. F. de G. procurator M. plebani in L. citato P. procuratore domini S. plebani in N. per M. nun tium iuratum, præsente dicto P. allegauit coram domino V. vicario & officia. &c. quomodo propter longam distantiam loci ad articulos per ipsum vltimò productos nõ possit Gnez nen. testes producere, petens examen committi super dictis articulis, alicui ex plātis vel canonicis aut doctoribus in ciui tate Cracouien. Et partibus discordantibus dominus ex officio suo, commisit domino S. de C. decretorum doctori &c. vt assumpto notario, dictos testes examinaret. Et ibidem dominus, recepto iuramento à B. de G. cursore quòd fideliter portaret tam articulos inclusos cum interlocutoria & cõ missione, quàm etiam compulsoriales aliâs decretas, manda uit sibi illa tradi, assignan. mensem tantùm ad reportandum rotulum cum examine testium. Præsentibus. &c.

¶*Compulsoriales contra iudicem & suos notarios.*

V DE L. Archid. Reuerendissimiq; &c. vt in citatione supra, fol. 148. salutem in domino. Noueritis nos in causa appellationis inter honorabilem M. plebanum in L. principalis appellantis ex vna & S. in N. plebanum partibus ex altera, occasione certarum decimarum ac aliarum rerum in processu causę latius deductarum, ad nonnullos actus & terminos iudiciarios gradatim & successiuè iuris ordine ser

uato

uato cum ipsis partibus seu verius ipsarum procuratoribus vsq; ad articulorum hincinde productionem ipsorumq; admissionem & responsionem, ritè & legitimè processisse Tandem die inferius annotata corã nobis, in iudicio pro tribunali præsidentibus, comparens personaliter circumspectus F. de G. magister causarum consistorij G. & dicti M. plebani in L. legitimus procurator, de cuius procurationis onere apud acta causæ huiusmodi euidentissimè dinoscitur constare, exposuit, quomodo venerabilis vir dominus T.R. &c. necnon notarij, tabelliones & coram eo scribę, depositiones siue dicta testium, instrumenta, priuilegia literas, scripturas & alia iura & munimenta in suis cistis, scrinijs, thecis, armarijs, actis, notis & prothocollis habent & circa se detinent, sine quibus veritas de meritis causæ huiusmodi liquidè & ad plenum constare non potest. Propter quod nobis debita iuris cum instantia supplicauit, quatenus sibi de remedio opportuno prouidere, nostrasq; compulsoriales literas contra & aduersus personas prænominatas in forma solita & fieri consueta pro extrahen. huiusmodi actis, dare & decernere dignaremur. Nos tunc attenden. petitionem huiusmodi fore iustam & rationi consonam, & quod iusta petentibus non est denegandus assensus, boniq; iudicis est cuncta rimari nè ex occultatione huiusmodi testium depositionis & aliorum iurium & munimentorum alicui partium veritas deperire videretur, præpetitas nostras compulsoriales literas decreuimus fore dañ. damusq; & decernimus per præsentes. Quo circa vobis executoribus supradictis & vestrum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna (quam in vos & vestrum quemlibet trina trium duntaxat dierum canonica monitione præmissa, si nostra hmõi mandata neglexeritis seu distuleritis contumaciter adimplere, ferimus in his scriptis) districtè præcipien. mandamus, quatenus personaliter acceden. venerabilem dominum T. &c. ac ipsius notarios, tabelliones & coram eo scribas, si ipsorum præsentias commodè adire poteritis, aliâs vestris in Ecclesijs publicè proponen. ipsos & eorum quemlibet salubriter inducen. moneatis & requiratis, quos & nos tenore præsentium requirimus & monemus, vt infra vnius mensis spatium, quod spatium ipsis &

eorum cuilibet pro omnibus dilationibus trinaq; canonica monitione ac termino peremptorio præfigimus & assignaui mus,acta acticata,testium depositiones siue dicta eorum,lite ras,scripturas, priuilegia, instrumenta & alia iura ac munimenta necessaria causam & causas huiusmodi tangent.& tãgentia in eorum formis originalibus, seu eorum vera transsumpta in publicam formam redactas & redacta, & sigillis autenticis sigillatas & sigillata,aliasq; talibus modo & forma dispositis, quòd eisdem apud nos in iudicio & extra plena fides valeat adhiberi,nil addendo,minuendo, mutãdo quod facti substantiam immutet:dent,tradant, & assignẽt nobisq; versus locum & consistorium G.dirigant,deferendas & defe renda,saluo nihilominus salario iusto & competen. illi vel illis, cui vel quibus satisfactio ob præmissa fuerit impenden. Alioquin si dicti moniti & requisiti secus fecerint & præmissa contumaciter adimplere neglexerint, ex tunc pro ex nũc, & ex nunc prout ex tunc ipsos & eorum quemlibet, lapso dicto vnius mensis spatio, Christi nomine inuocato excommunicamus in his scriptis,quos & vos sic excommunicatos,vestris in Ecclesijs, monasterijs & capellis singulis diebus dominicis & festiuis coram Christi fidelibus ad diuina audienda congregatis, denuncietis & denunciare curetis. Præmissa tamdiu exequen. donec à nobis aliud habueritis in mandatis. Diem verò executionis præsentium,& quicquid in præmissis feceritis,nobis per vestras pateñ. literas, &c. vt supra in citatione ad finem.

¶ *Præsentatio compulsorialium.*

PARS Itaque quæ literas compulsoriales ad extradenda acta primæ instantiæ obtinuit vel suus procurator, requirat in præsentia notarij publici executorem, vt moneat vigore illarum literarum iudicem primæ instantiæ, & suos notarios iuxta vim & formam in præfatis literis compulsorialibus expressam,& prefatus iudex acta transsumpta & sigillata decernet ttadeñ.saluo salario notariorũ. Et super oĩbus prædictis fiat prestatio & petatur publicum instrumentum, vel saltem notarius reponat præmissa in suum prothocollum.

¶ Hic

¶Hic nota. Quando decernuntur compulſoriales pro actis primæ inſtantiæ, & iudex à quo reſidet in eadem ciuitate cum iudice ad qnem, quando huiuſmodi acta debent comportari per notarium monitum,procuret altera partiũ, aliam citari ad videndum eadem acta primę inſtantię, remitti ſeu comportari ad iudicem ſecundę inſtantiæ ad probandum ſuam intentionem, ſeu rationes per modum exceptionum datas,aliàs ad probandum per acta primæ inſtantię,de nullitate ſententiæ, in prima inſtantia latę. &c. Prima autẽ inſtantia appellatur, agitata cauſa ſeu negotiũ coram primo iudice,incepta à prima citatione vſque ad ſententiam,à qua ſi appellatum fuerit. Tunc ſecunda inſtantia erit coram iudice appellationis incipiendo iterum à prima citatione vſq; ad ſententiam. A qua ſi iterum appellabitur,tunc tertia inſtantia erit coram tertio iudice,ſicut prius & ſic conſequenter de quarta,&c.

¶ *Remiſſio pro examinandis teſtibus in cauſa appellationis.*

V. DE L. Archi. reuerendiſſimiq;. &c. & officia. G. generalis venerabili ac egregio domino S. de C. decretorum doctori,ſalutem & fraternam in domino caritatem. Orta pridem coram nobis cauſa in vim appellationis ad ſanctam ſedem Metro. Eccleſiamq;. G.per honorabilem M. plebanum in L. diœceſis Craco. appellantem ex vna, & honorabilem S. curatum in N. eiuſdem diœceſis Cra.appellatum,de & ſuper decimis manipularibus in villa. G & earum occaſione, partibus ex altera. In qua quidem cauſa poſtquam ad nonnullos actus iudiciarios gradatim & ſucceſſiuè cũ dictis partibus imò verius cum ipſarum procuratoribus vſque ad productionem articulorum ipſorumq; admiſſionem & reſponſionem proceſſimus, tandem die inferius annotata, coram nobis iudicio pro tribunali pręſidentibus, comparens perſonaliter circumſpectus F. de G. magiſter cauſarum conſiſtorij Gne. & præfati honorabilis domini M. legitimus procurator, de cuius procurationis mãdato apud acta cauſæ hm̃oi per legitima conſtat documenta, expoſuit quomodo teſtes ad proban ſuę partis articulos, propter loci diſtantiam gra-

ueſq; ſumptus, fatigas & expenſas verſus locum & ciuitatẽ Gne. commode inducere non poſſet. Propter quod nobis debita cũ inſtantia ſupplicauit, quatenus vobis hmõi teſtium examen committere, eiq; ſuper hoc noſtras commiſſionis ſiue remiſſionis literas in forma ſolita, & fieri conſueta in perſonam veſtrã dare, & decernere dignaremur. Nos tunc attenden. quod iuſta peten. non eſt denegandus aſſenſus: noſtras commiſſionis ſiue remiſſionis literas decreuimus fore dañ. per præſentes, infra hinc & ſpatium vnius menſis exequen. Quo circa vos dominum ſupradictum hortamur, & monemus in domino, quatenus, ne facti huiuſmodi veritas obumbrari videatur, vocatis ad veſtri præſentiam teſtibus quos ipſe dominus M. aut ſuus procurator inducere voluerit, ipſos in præſentia partis aduerſæ ad hoc legitime citatę, aliàs in contumaciam abſentis recipiatis, ipſosq; ſecundùm tenorẽ articulorum & interrogatoriorum, quos vobis cum præſentibus clauſos dirigimus offeren. adhibito vobis notario publico. fideli & legali, quem ad hoc duxeritis eligeñ. ſecundùm prudentiam vobis à domino deo datam, examinetis & examinare curetis, recepto prius à quolibet teſtium de dicẽda veritate iuxta conditionem ipſorum corporali iuramento. Atteſtationes verò ſiue dicta teſtium hmõi in vno volumine conſcriptas, clauſas, ligatas veſtroque ſigillo ſigillatas, & aliàs talibus modo & forma diſpoſitas quod ipſis apud nos in iudicio & extra plenaria fides valeat adhiberi, nulli partium atteſtationibus publicatis nobis verſus locum & ciuitatem G. per fidem iuratum nuntium à data præſentium ad vnius menſis decurſum vel quanto citius poteritis, dirigatis. Teſtes verò qui nominati fuerint, ſi ſe gratia, odio, timore, fauore, pręce, præcio, ſubtraxerint, per cenſuram eccleſiaſticã cogatis teſtimonium veritati perhibere. In quorũ oĩum & ſingulorũ fidem & teſtimonium præmiſſorum, præſentes noſtras commiſſionis ſiue remiſſionis literas ſeu præſens hoc publicum inſtrumentum per notarium noſtrum & facti huius coram nobis ſcribam, vt ſupra in citatione ad finem.

¶ *Subſcriptio.*

ET EGO N. Ioannis de P. clericus Pozñ. diœceſis publicus

cus autoritate imperiali notarius & coram memorato reuerendo patre domino V. &c. causarum & facti huius scriba, quia prædictis literarum remissorialium pro examine testiū petitioni & earum decreto alijsq; omnibus & singulis dū sic vt præmittitur fierentur & agerentur vna cum prenominatis testibus, præsens interfui, ideò hoc præsens publicum instrumentum confeci meq; huic signo & nomine meis solitis & consuetis subscripsi & consignaui in fidem & testimoniū omnium & singulorum præmissorum.

¶ Nota quòd si pluribus facta fuisset huiusmodi commissio pro testibus examinandis, cautum est vt ante illam particulam. In quorum omnium. &c imponatur hæc clausula. Quod si non ambo his interesse poteritis, ea nihilominus vnus vestrum exequatur. In quorum omnium.

¶ *Præsentatio remissorialium.*

PRAESENTATA commissione, seu literis remissorialibus pro examinandis testibus illi cui facta est commissio, petat procurator impetrantis vel ipsemet principalis sibi decerni citationem contra aduersam partem ad recognoscendum sigillum iudicis remittentis & ad viden. aperiri rotulum. Et in termino aduersa parte comparente & medio iuramento recognosceñ. sigillum, vel per contumaciam absente, petat aperiri rotulum seu literas quibus inclusi sunt articuli & interrogatoria cum alijs correquisitis, super quibus testes debent examinari. Et aperto rotulo petat sibi decerni citationem contra testes per ipsum nominatos & contra partem aduersam ad videndum induci, iurari & admitti huiusmodi testes, & omnia præmissa in actis conscribantur, vt sequitur.

¶ *Notarius.*

DIE tali mensis. &c. in domo & in presentia venerabilis domini &c. in stuba inferiori, magister V. de C. procurator M. plebani in L. cum P. cursore laico. de G. constitutus fecit eidem laico iurato, vt asseruit. præsentare præfato domino commissionem seu literas remissoriales cum quibusdam articulis,

ticulis, vt asseruit, pro parte dicti M. plebani in L. & facta huiusmodi præsentatione, petijt citationem ad videndum recognosci sigillum & rotulum aperiri. Et dñs decreuit propter præsentiam procuratorum ad primam diem. Præsentibus.

¶*Productio testium.*

DIE tali mensis. &c. V. de C. procurator M. plebani in L. oblata citatione legitimè executa produxit pro parte dicti M. xv. testes infrascriptos, pro prima dilatione, alijs dilationibus renunciando, & dominus receptis iuramentis dictorũ testum, commisit mihi N. &c. notario examen ipsorum D. de A. procuratore domini S. plebani in N. partis in hac causa aduersæ, protestan. de excipien. contra dicta ipsorum, &c.

¶*Examen testium.*

ANNO domini M. &c. die I. mensis &c. testes infrascripti pro parte M. plebani in L. inducti citati, iurati per me N. notarium publicum de mandato domini S. de C. &c. secũ dùm interrogatoria & articulos desuper datos sunt examinati, vt sequitur.

¶ Primus testis. &c. prout in prima instantia. Et ponatur casus causa breuitatis vt omnes conformiter deponant ad articulos in forma meliori & optima proban. articulos: & redden. causas scientiæ sufficienter suorum dictorum cũ alijs circunstantijs.

¶*Clausio rotuli.*

DIE ix. mensis. &c. V. de C. procurator M. plebani in L. citato A. procuratore discreti S. plebani in N. petijt rotulum claudi & sigillari & per nuntium fidelem & iuratum Gne. remitti: & dominus, dicto A. procuratore dicti S. præsente & consentiente, fecit rotulum claudi & sigillari, & recepto iuramento à S. laico de Craco. cursore quod fideliter reportaret attestationes, fecit eidem tradi rotulum cum attestationibus, inclusis ibidem articulis cũ alijs quæ prius erãt inclusa. Præsentibus.

¶*Remissio*

¶Remissio actorum per cursorem iuratum.

Die Lunæ mensis. &c. V. de C. ipsius M. plebani in L. procurator, ad præsentiam domini T. &c. citato A. de D. pro curatore S. de N. petijt eundem A. compelli ad recognoscen. sigillum, quod pendebat circa acta primæ instantiæ, & ad videndum mitti & expediri præfata acta ad officialem G. & dicto A. recognoscente sigillum & consentiēte ad portandū dicta acta, dominus recepto iuramento à P. de C. cursore laico, quòd fideliter portabit & nulli tradet nisi officiali Gnez. aut suo locumtenenti, decreuit eidem P. tradi acta ad reportandum. Præsentibus.

¶Præsentatio rotuli & actorum.

Die Vltima P. cursor laicus iuratus de Cra. rotulum cum attestationibus à venera. magistro S. de C. decretorum doctore in præsentia honora. domini. V. &c. præsentauit cū actis primæ instan. in 38. folijs papiri conscriptis cum subscriptione N. notarij. &c. Et ibidem F. de G. procurator discreti M. plebani in L. citato P. de B. procuratore domini S. plebani in N. petijt per iuramentum recognosci sigillū quo rotulum cum attestationibus erat sigillatum & aliud quod appendebat actis primæ instantiæ. Et dicto P. recognoscente vtrunque sigillum per iuramentum, prædictus F. petijt aperiri rotulum absq; eo quod dicta testium publicarētur, dominoq; decernente rotulum esse aperiēdum, prædictusq; F. acta primæ instantiæ verbo reproduxit ad probandum articulos ex libello in secunda instantia proceden. & ad suam intentionem probandam, inquantum faciunt seu facere possunt pro parte sua, & contra partem aduersam & non aliter nec alio modo, de quo protestatus est. Et ex aduerso P. procuratore, post aperturam rotuli peten. publicari dicta testium & copias sibi decerni, terminumq; ad dicendum tam contra attestationes & dicta testium, quàm etiam contra dicta primæ instantiæ, dominus publicatis attestationibus & decretis copijs propter multitudinem testium & attestatio-

num in xvj. folijs conſcriptorum, præfixit terminum ad dicen. contra vnius menſis. Præſentibus.

¶ *Exceptiones contra teſtes verbo.*

DIE Tali menſis talis P. procurator domini S plebani in N. citato F. &c. excepit generaliter verbo contra atteſtationes & dicta teſtium pro parte domini M. vltimò productorũ, dicens ipſos cum dictis ipſorum de iure inadmiſſibiles, allegan. cauſas generales. Contra aũt acta primæ inſtantiæ proteſtatus eſt, quod inquantum dicta acta cum contentis in ipſis facerent pro ipſo aut facere viderentur pro parte ſua & contra partem aduerſam, illa in ea parte non impugnat nec impugnare intendit, ſed admittit & approbat, inquantum verò facerent contra partem ſuam & pro parte aduerſa ex tũc generaliter verbo excipit. Et incontinenti hoc pacto produxit inſtrumentum ſententiæ in prima inſtantia pro parte dicti domini S. plebani in N. latè ſub titulis venera. domini T. R. Canonici & offi. Cra. generalis. manu & ſigno G de C. notarij imperiali autoritate publici clerici diœceſis Cra. ſubſcriptum, cum ſigillo prædicti officialis appendeñ. ad probandum ſuos articulos & ſuam intentionem, petiuitq́; dictam ſententiam confirmari. Et ex aduerſo F. excepit, generaliter, verbo contra inſtrumentum ſententiæ & contẽta ipſius, & replican. contra exceptiones partis aduerſæ verbo factas contra teſtes vltimò deponentes ac contra acta primæ inſtantiæ, petenteq́; concludi, dominus decreuit vt ad videndum concludi citaretur pars aduerſa. Et incontinenti P. de B. procuratore domini S citato per M curſorem nuntium iuratũ ad videñ. & audieñ. concludi, dominus concluſit cum poteſtate conludendi. Præſentibus.

¶ Hic nota ex conſuetudine apud nos ante prolationem diffinitiuæ ſolet iudex, ſic dicere ante omnia, omnes dilationes ſi quæ datæ ſint amputamus & reuocamus, ac ſuper appellationibus ſi quæ interpoſitæ ſint, damus apoſtolos refutatorios, & ex ſuper abundanti in cauſa concludimus.

¶ Sententia

¶ *Sententia diffinitiua.*

CHRISTI nomine inuocato pro tribunali seden. deũ solùm præ oculis habentes de iurisperitorum consilio & intra nos matura deliberatione habita diligenti, ac per ea quæ in præsenti causa vidimus & videmus, cognouimus & cognoscimus, quæ inter discretum dominum M. plebanum in L. actorem ex vna, & dominum S. plebanum in N. reum partibus ex altera vertitur corã nobis vigore appellationis à sententia venerabilis domini T.R cano. & offi. Craco. generalis de & super decimis manipularibus & campestribus ac prædialibus, post agros & araturas nobilis A. & omnium & singulorum sculteti, & cmethonum in villa G. communiter nominata excrescẽ. in terra L. diœcesis Craco. per hanc nostram sententiam diffinitiuam quam ferimus in his scriptis, dicimus, decernimus & declaramus omnes & singulas decimas supra descriptas, post omnes & singulos agros & araturas dicti nobilis A. omniumq; & singulorum sculteri & cmethonum in villa G. prædicta excrescentium ad prædictum dominum M. & ecclesiam suam in L. iure communi pertinuisse & hodie pertinere & spectare ac prædecessores suos in possessione earundem decimarum fuisse & extitisse pacifica & quieta easdemque decimas prædicto domino M. & Ecclesiæ suæ prædictæ in L. adiudican. fore & adiudicamus. Prædictoq; S. & Ecclesiæ suæ in N. in dictis decimis nullum ius competisse, nec competere. Prædictumq; dominum T. Cano. & Offic. Cracoui. generalem in prædicta causa, malè, perperam & iniquè processisse & sententiasse ac diffiniuisse, sententiam ipsius latam pro prædicto domino S. ex nouis productis cassamus, & annullamus, infirmamus & reuocamus. Prædictumq; dominum S. præfato M. & Ecclesiæ suę in fructibus perceptis à tempore motæ litis, & in expensis, tam in causa primæ instantiæ, quàm coram nobis factis, condemnandum fore & condemnamus, quarum nobis taxationem in posterum reseruamus. Præfatoque S. & dictæ Ecclesiæ suæ in N. super prędictis decimis, quantum in nobis est, perpetuum silentium imponẽtes. Et imponimus, hac nostra diffinitiua mediante. Lecta, lata. &c.

¶ *Notarius.*

¶ *Notarius.*

Die Tali mensis. &c. F. procurator discreti domini M. plebani in L. citato P. de B. procuratore discreti S. plebani in N. per M. cursorem nuncium iuratum, petijt ferri sentẽtiam diffinitiuã & præfato P. similiter peten. dominus tulit in scri ptis pro M. plebano in L. reuocando sententiam pro parte S. plebani in N. in prima instantia latam. Et idem P. statim à sententia prædicta tanquam iniqua appellauit verbo ad sedem Apostolicam, & Apostolos cum debita instantia petiuit sub vnõ contextu sibi dari. Dominus autem ob reuerentiam sedis Apostolicæ, detulit eidem appellationi dando Apostolos venerabiles. Præsentibus. &c.

¶ *Apostoli venerabiles ad sedem Apostolicam.*

Sanctissimo In Christo patri, & domino nostro Domino Greg. diuina prouidentia Papæ XIII. sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici. V. de L. Archid. Reuerendissimiq;, &c. vic. in spiritualibus & officialis G. generalis. Post deuotas orationes & pedum oscula beatorum Sanctissi me pater, & domine multum metuende, quia causa appella tionis pro parte discreti M. plebani in L. diœcesis Cracoui. à sententia diffinitiua domini T. Cano. & Offic. Craco. genera lis, lata pro parte domini S. plebani in N. dictæ diœcesis Craco. & contra prædictum dominum M. & Ecclesiam suam in L. appellatione interposita ad sedem Metropolitanam G. legitimè deuoluta, super quibusdam decimis manipularibus & campestribus, tam prædialibus post agros & araturas nobilis A. quàm omnium & singulorum sculteti, & chmetonũ excrescentes in villa G. communiter nominata in terra L. dictæ diœcesis Craco. & coram me tanquam vicario & officiali dictæ Ecclesiæ Metropolitanæ Gneznẽ. inter prædictas partes agitata est & tractata, egoq; in prædicta causa seruato in omnibus iuris ordine processi, primitus de articulo appel lationis expedito ad iurisditionem spectantis iurisditioneq; approbata, demum in certis terminis libellis successiuè, con

uentionali

uentionali pro parte actoris & reconuẽtionali pro parte rei, oblatis & productis, tandem super eisdem, citatis partibus lite legitimè contestata, & certo termino ad ponendum & articulandum dictis partibus præfixo & assignato, oblatisq; per dictum M. & productis nonnullis positionibus & articulis & super eisdem habitis responsionibus, & ex post probationibus secutis super dictis positionibus & articulis, tam testiũ, quàm etiam aliarum diuersarum probationum, & signanter ad articulos nouos ex veteribus, seu prioribus dependen. actisq; primæ instantiæ per compulsoriales nostras literas extractis & nobis reportatis & sententia diffinitiua lata per iudicem à quo pro parte rei producta, & deinde oblata, tam su per dictis testium, de quibus supra, quàm etiam super actis primæ instantiæ, ac sententia per nõnullas exceptiones & replicationes habitis disputationibus inter procuratores prædictarum partiũ. Vltimò citatis partibus & procuratoribus in prædicta causa, per dictos procuratores petitum fuit concludi: & ad petitionem dictorum procuratorum cum eisdẽ conclusi, & habuerunt pro concluso. Tandem in alio termino certo citatis dictis procuratoribus partium ad vidẽdum & audiendum per me sententiam ferri, eandem sententiam diffinitiuam cum adiutorio Dei, ex nouis productis pro parte discreti M. plebani in L. (reuocando primam sententiam latam per venerabilem dominum T. &c. pro parte discreti S. plebani in N.) tuli, & pronunciaui, huiusmodi sub tenore Christi nomine. &c. & inferatur totus tenor sententiæ, vsque ad finem. Post cuius quidem sententiæ diffinitiuæ lectionẽ, prolationem & pronunciationem per me factam, pro parte discreti S. mox & incontinenti verbo ad sanctitatem vestram sedemq; Apostolicam fuit & est appellatum, & Apostoli cum debita instantia petiti. Et licèt in prædicta causa crediderim me iustam tulisse & pronunciasse sententiam, ob reuerentiã tamen sanctitatis vestræ, & sedis antedictæ Apostolicæ, eidem appellationi humiliter detuli, dando Apostolos reuerentiales, & literas Apostolorum, seu remissoriales decreuĩ dandas cum subscriptione notarij causæ, & sigilli officialis appensione. In cuius rei testimonium. &c. Datum & actum. Anno. &c.

¶ *Infra*

¶ *Infra quod tempus sententia executioni est demandanda.*

NOTA. Quòd reo condemnato ad soluendum regulariter currunt quatuor menses, quod tamen tempus potest iudex ex causa arctare, vt not. in ca. quærenti. de offic. deleg. & c. quod ad consultationem, de re iud. j. respon. In reali verò actione statim fit condemnatio nisi appellaret cōdemnatus. Et similiter in causa criminali. Versus.

In personali post menses quatuor, in re
Protinus est omnis sententia perficienda
Sic in criminibus, sed casus excipe quinque,
Confessus, prægnans, iratus. & insula seruus.

¶ Horum declarationem ponit glo. in ca. cum apud Thessaloniam. xj. q. iij. in l. debitoribus. & in l. si se non obtulerit §. si quis condemnatus. ff. de re iud. Primò si quis est confessus crimen. Nam differtur sententia donec appareat, an velit in confessione persistere. C de iust. reo. l. ij. Secundò cum sententia est lata contra mulierem prægnantem, differtur eius executio vsque ad tempus partus l. prægnantis. ff. de pœnis. Tertiò cum princeps ex ira tulit sententiam. l. si vindicari. C. de pœn. & d. c. Cum apud Thessalonicam. Quartò si quis est bannitus per sententiam, differtur executio donec insula assignetur per principem. ij. q. vj. §. biduum. Quintò si sententia est contra seruum lata, differtur eius executio, donec seruus reddiderit domino ratiocinia. l. j. C. de bonis proscri.

¶ *Adhæsio appellationi.*

ILLVD Silentio non est transeundum. Quia sæpe in appellationibus suprascriptis dictum est de adhærentibus, vel adhærere volentibus, ipsi appellanti. Idcirco scias quòd ipsi adhærentes, non admittentur ex virtute appellationis, nisi infra tempus, quo appellasse debuissent, appellationem expresse ratificauerint, & dixerint se adhærere velle. j. q. vj. nō solent. Ita tenet Ioan. Andr. in glo. super verb. adhæren. ca. vt circa de elect. lib. vj.

¶ Item quia supra, fol. 137. fallen. ij. dictum est, quòd acta

primæ

primæ instantiæ, debent extrahi sumptibus duntaxat ipsius appellantis. Ratio potest assignari. Quia licet acta debeant iudicem pro vtraque parte informare, non tamen appellans hoc intendit sed duntaxat, vt probet intentionem suam, & ideò debet solus acta sumptibus suis extrahere. Nam semper debemus inspicere magis, id quod principaliter fit, quàm id quod fit in consequentiam, vt tenet glo. in c. quamuis. de pact. lib. vj ad quod facit in sim. glo. in verb. à producente. c. statutum. §. In proferendo lib. vj. Et ibi Gemin. quem omnino videre te non pœniteat.

¶ *Additamenta sequuntur.*

INTERLOCVTORIA Quando impetrans commissionem, fuit excommunicatus per iudicem à quo, sic potest pronunciari per ipsum delegatum. Honorabilis M. Ecclesiæ parochialis in T. plebani, appellantis ex vna, & prouidi A. de B. appellati partibus ab altera de & super iure decimarum prædialium, villæ N. diœcesis Craco. In causa nobis per Reuer. in Christo patrem & dominum, dominum Tho. miseratione diuina, tituli sancti Sixti, sanctæ Romanæ Ecclesię Card. &c. Legatum de latere ad Vngariæ Bohemiæ & Poloniæ regna deputatum, in secunda instantia commissa & delegata. Interloquendũ pronunciamus, nos iudices causæ & partibus præmemoratis competentes nostramque iurisditionem fundamus. Et nihilominus ipsum N. iu L. plebanum, ac causam absoluimus, & literas in forma eidem dandas decernimus ad vlteriora coram nobis procedi mandantibus rationibus pro parte ipsius A. appellati datis, quas tanquam negocium principale concernendi in locum suum reponimus non obstantibus. Expensas ad finem litis reseruantes hac nostra interlocutoria mediante.

¶ *Petitio in causa testamenti suspecti, aut conficti.*

VNDE Ex præmissis ex quolibet præmissorum, dictus procurator suæ partis nomine petit per vos V. patres tales iudices. &c & vestram sententiam diffinitiuam dici, decerni, pronun-

pronunciari & declarari, per præfatum D.N. talem iudicem primæ instantiæ, in eadem causa, malè, iniquè, iniustè, & per peram processum & sententiatum fuisse, pro parteq; dicti A. iustè benè & legitimè, ab eadem sententia diffinitiua, & toto ipsius iudicis primæ instantiæ processu, appellatum extitisse. Et propterea eandem sententiam & processum ipsius iudicis instantiæ primæ, quatenus de facto processerunt per viá nullitatis & iniustitiæ, cassandum, irritandum, annullandũ, & reuocandum fore, cassariq; irritari, annullari & reuocari debere, atque testamentum prædictum tanquam inoffitiosum & inordinatum falsèque & malitiosè præter mentem & mandatum olim S confectum & simulatum, infirmãdum, cassandum & annullandum fore, infirmariq; & cassari, omniaq; & singula bona, tam mobilia, quàm immobilia, parua & magna, ac pecuniarum summas & clenodia, morte prædicti S. ab intestato derelicta ad eosdé N. fratres suos iure propinquitatis ac successionis naturalis, legitimè deuolui debere, prædictos quoque scilicet S. & B. coniuges in summa florenorum in rationibus coram iudice instantiæ primæ specificata, condemnandos fore & condemnari debere. Condemnatosq; ad restituendum & extrahendum eandem summam cum clenodijs & alijs rebus in libello specificatis temerariè vsurpatis & præsumptuosè occupatis, pro soluendis debitis per olim S. legatis, compellendos fore & compelli debere, vnà cum expensis in lite factis, & faciendis de quibus protestatur iustitia sancta & vestra diffinitiua meditantibus saluo iure add. &c.

¶ *Sequitur diffinitiua ex præcedenti petitione.*

CHRISTI Nomine inuocato, & ipsum solum præ oculis habentes, pro tribunali sedentes, communicato iurisperitorum consilio & assensu, maturaq; inter nos deliberatione præhabita, per ea quæ vidimus cognouimus & intelleximus ac vidimus, cognoscimus & intelligimus in causa testamenti. Inter honorabilem N. plebanum & N. tutores seu vitricos Ecclesię parochialis in O. appellatos ex vna & laboriosos Io. & M. appellan. partibus ex altera, vigore appellationis à sen

tentia

tentia venerabilis domini N.Scolastici ac vicarij Craco.gene neralis de & super triginta marchis pecuniarum, post mortem olim S. C. ciuis Craco. pro dicta Ecclesia parochiali in O. ex titulo testamenti, seu legati petitis, rebusque alijs in processu huiusmodi causæ latius deductis & earum occasione, coram nobis in secunda instantia vertente & mota per hanc nostram diffinitiuam sententiam, quam ferimus in his scriptis dicimus, decernimus, diffinimus & declaramus, dictum testamenrum, per testes fide dignos, tam in eodẽ testamento & instrumento descriptos, quàm alios in prima & secunda instantia inductos, legitimè reprobatum irritatum, & annullatum, in suisq; clausulis temerariè confictum, ac falsitati malitiosę, subiectum fuisse & esse, prædictisq; N. plebano & N. tutoribus præfatæ Ecclesię in O. in petitis xxx. marchis ex eodem conficto & falsato testamento, nullum ius competijsse neque competere, præfatum quoq; venerabilem dominum vicarium in spiritualibus generalem, in prædicta causa malè processisse, & perperam ac iniustè sententiasse. Et ob hoc sententiam ipsius pro dicta Ecclesia taliter latam, tam ex antiquis, quàm nouis productis cassandam, irritandam, annullandam, & reuocandam fore, prout cassamus, irritamus, annullamus & reuocamus. Pro parte verò præfatorum Io. & M. Germanorum benè & legitimè appellatum. Quibus tam iure propinquitatis, quàm iure eiusdẽ concordiæ, coram consulatu Craco. factæ in omnia, & singula bona mobilia & immobilia, parua & magna, post mortem olim Sta.C. eorum fratris germani, ab intestato derelicta ius successionis naturalis, & proprietatis, legitimè competijsse & competere, ac ad eosdem iure deuoluta fuisse & esse, dictamq; concordiam coram præfato consulatu, tãquam inter alios factam, ad præfatam Ecclesiam in O. minimè spectasse & pertinuisse, nec spectare & pertinere, nec in aliquo eidem Ecclesiæ, profuisse seu prodesse debere, præmentionato quoque N. plebano & tutoribus dictæ Ecclesiæ in O. occasione dictarum triginta marcarum perpetuum silentiũ imponendum fore, prout quantum in nobis est imponimus ipsos nomine præfatæ Ecclesiæ in expensis litis, tam coram iudice primæ instantiæ, quàm coram nobis legitimè factis,

præfatis

præfatis Io.& M.fratribus condemnandum fore & condemnamus. Quarum taxationem nobis in posterum reseruamus. Et nihilominus prædictis Io. & M. fratribus germanis actionem contra prouidum S.ſaldo ciuem in Craco. & B. eius vxorem, occaſione nonnullarum rerum per eoſdem poſt mortem olim dicti Sta.C.ab inteſtato vſurpatarum, ſaluam & integram coram iudice competente reſeruamus, hac noſtra diffinitiua mediante. Lecta & lata eſt ſupradicta ſententia per R.dominum.&c.die Martis.&c. Anno 1541.

¶ *Notarius ſe ſubſcribat more ſolito vt ſupra.*



FINIS.

REGESTVM.

✠ A B C D E F G H I K L M.

Omnes ſunt Quaterni præter ✠ Duernum.

VENETIIS,

Excudebat Aegidius Regazola.

M D L X X I I I.

